

Vindiciae libri Priapeorum.

turpis facies inquinata est quam lavata turpior.

Priapus auctor fecunditatis rurisque custos post demum quam Asia provincia Romanorum facta est, Lampsaco translatus Romam est. nondum noverat eum Plautus qui tutelam hortorum mox Priapo mandatam deae adsignavit Italicae originis Veneri, multoque etiam post in amphora Pompeiana inscriptum est *sic te amet que custodit ortu Venus*. primus quod quidem sciamus Afranius togatarum poeta mentionem illius iniecit prologumque eum in aliqua fabula de origine sua iocantem fecit. deinde mimographi persona eius abutebantur ad quam ridiculam gestuum dictorumque turpitudinem aptarent. redacta autem in Caesarum imperium republica Romani in hortis suis fere communi usu collocare rude Priapi simulacrum ingenti fascino insigne solebant; certe satis crebro *furum illa aviumque formido* a Vergilio Horatio Tibullo Ovidio Bibaculo commemoratur. haec simulacra quid vellent titulo declarabant, cuius verba non maiorem saepe quam ipsa dei forma pudicitiam prae se ferebant (carm. VIII). atque quemadmodum sepulcrum adloquitur viatorem *hospes resiste et parvom scriptum perlige*, calix potatorem *bibe*, cochlear esurum *utere felix*, fugitivi collare praeterseuntem *tene me ne fugiam et revoca me ad dominum meum*, sic Priapus in epigrammatis huius libri longe plurimis ipse proloquitur furibus minans poenam, naturae suae immanitatem iactans, mulieres probas improbasque lacessens. ad hoc exemplum narrantis aut denuntiantis Priapi personam etiam Horatius in satira et in epigrammatis Martialis inducere. adiecta dei statucae sicubi tectoria sacellumve erant (XIV XXXXIX I), more antiquo parietes ab adeuntibus opplebantur facetiis ad custodem hortorum pertinentibus atque curam villulae (LXI LXII). cumque sacra Priapo varia voverent et dedicarent, coronas poma porcum obscenas tabellas verpas cymbala, dedicantes illa celebrabant inscriptione aut iocis otiosus quilibet insectabatur. ad summam, stantes sub divo Priapi perviaeque aediculae omnibus, si seria ac sancta vellent sive

nequissimum quemque lusum adlinere (XXXXII et LIV), potestatem fecerunt. prima duo carmina apparet collecticii libri quasi praefatiunculas esse sic ut Martialis xenion apophoretonque libris trina epigrammata praeposuit; tum XXXVII ad trichlinarium Priapum, LXXXI ad amuletum priapeum spectare conieci. inter reliqua vero nullum reperitur quin inscriptum aliquando fuisse in statua Priapi sacellove in hortis possit. non hoc contendo nata inde ad unum omnia esse, immo epigrammata qui factitabant eruditos multa eiusdem generis dispersisse in libros suos Ovidiique carmen III ex volumine pugillaribusve in Priapea haec transcriptum esse credo. sed cum et studiosissime veteres inscriberent signa ac parietes neque illis temporibus singulares de Priapo priapeisque libidinibus facetiae quo publicarentur locus praeterea ullus esset, magnam huius libri partem re vera ab illa repetere origine non dubito. quod clarum certumque adeo erit si meum de LVII et LXXII iudicium valet. accedit quod non adhibita his carminibus est metri species artificiosior, priapeos dico et sotadeos, sed elegiaci tantum versus et hendecasyllabi et choliambi. choliambos quidem in titulis latinis qui supersunt hodie extare nullos scio, verum non id mirabitur qui naturam eius versus reputaverit ab elogiis monumentorum publicorum et sepulcrorum omni modo abhorrentem. et ne cui cultiora pro solita inscriptionum rusticitate haec Priapea videantur, ea condidisse elegantiores homines magis quam vulgus observantes Priapi et qui collegit perpolivisse probabile est. quid quod de municipalibus ad Clitumnum poematis Plinius epist. VIII 8, 7 'studebis quoque' inquit 'leges multa multorum omnibus columnis omnibus parietibus inscripta quibus fons ille deusque celebratur; *plura laudabis*, non nulla ridebis quamquam tu vero quae tua humanitas, nulla ridebis'.

Graeci inde ab Alexandrina aetate varia de Priapo ludibundi composuerant lyricosque Romanos qui priapeum versum traditum ab illis acceperunt effinxisse Graeca imitando neque extra fidem est neque extra analogiam. verum huius tamen libri carmen XXIV quod translatum a Tarentino Leonida esse Scaliger et Iacobsius existimarunt, cum dubia sit graeci epigrammatum auctoritas (*Αεωνίδου, οἱ δὲ Περσίτου*), ego contra statuo 'propter holus'. nam hoc quoque accidisse non nusquam Martialis interpretationes epigrammatum ostendunt ut latina verterent graece, et in anthologiis graecis quae scripta in Priapum sunt pleraque romanum magis quam graecum saporem redolere mihi videntur. ceterum *Ποιδνεία* Euphorion aliique Graeci cum metrum tum carmen ithyphallicum vocabant. id latine *Priapea* effertur aut *Priapia*, non ut mixtis vocalibus vulgo scribunt *Priapeia*. iam vero hunc Priapeorum librum ideo codices P. Vergilio

Maroni adtribuunt quod catalectis Vergilianis cohaerebat anti-
 quitus. itaque in vita Vergilii Donatus 'catalecton et Priapia'
 inter opera illius poetica numeravit, et Diomedes grammaticus
 cum Vergilium 'in prolusionibus suis' metro priapeo esse usum
 testetur, adiuncta fortasse huic libro illa carmina deprehenderat
 quae in appendicula vindiciarum mearum recensebo. at Ausonius
 si pro Vergiliano hunc huiusve similem librum habuisset, tam
 gravem qua suam impudentiam excusaret auctoritatem vix prae-
 termisisset in epilogo centonis nuptialis. verum pone consensisse
 de Vergilio auctore antiquos universos: a multis, non ab uno
 facta esse haec poematia ipsa clamant. recte igitur in Medio-
 lanensi codice *cata dicta* id est *catalecta veterum poetarum in
 Priapum* inscripta sunt et in editionibus vetustis *lusus diver-
 sorum poetarum* non pulcre quidem sed non false dicuntur.
 carmen III ab Seneca rhetore Ovidii esse discimus, alia colorem
 duxerunt ex versibus Ovidianis. LII et LXIII affectum Catulli
 vocemque illudunt, XXV sive Vergilium sive ut LXVIII vel
 carminis XXXVII clausula Homerum. in verbis non iambicis o
 semper producitur praeter *tenebo* VI 3 et *nemo* LXVIII 33, *ut
 puta* formula correptam a habet XXXVII 6. quod si Ovidianae
 finibus aetatis haec carmina incluseris, nihil est quo dilatari
 spatium oporteat, nihil quo coartare tempora liceat. neque ita
 multo post conquisita ea litteratus homo et Petronii aemulus
 ingeniosa nequitia in unum videtur volumen coegisse. ordo quo
 seriem epigrammatum ille continuavit tam incertus est quam quo
 liber Catulli progrediatur; quo quaeque loco inscripta invenit,
 hoc eum ordine disposuisse carmina opinor. quamquam aliquo-
 tiens aliud alii conexum ex illa nominum rerumve similitudine
 putes quae in conglutinandis Hesiodi praeceptis elegisque Theo-
 gnididis observata est (*laxitas* XVII et XVIII, *eruciae* XXXXVI et
 XXXXVII, *sterilis malus* LX et LXI, *cavicula* LXII et LXIII).
 expressit hunc librum Martialis non nunquam ad verbum, saepe-
 pissime ad sententiam, qualia industrie explorata adnotavi praeter
 ea quae suo ille ingenio an horum carminum recordatione fini-
 xerit non discernas (velut III 68 'custodem medio statuit quam
 vilicus horto, opposita spectat quam proba virgo manu'). post
 Martialem semel Ausonius inferioresque versificatores aut duo
 aut unus orationis aliquid ex his Priapeis decerpserunt. codices
 quotquot extant ex eodem emanasse fonte vel una corruptela
 LXVII 13 demonstrat omnibus communis. non curabam interpola-
 tos illos qui lacunam carminis LXXV commentis expleverunt
 Italorum. sed ne inter reliquos quidem quot Burmanni Meyeri
 meis collationibus noveram, ante XIII. saeculum ullus esse
 scriptus videtur. horum ego consensu instaurare archetypon
 studui, et ut dicam quod sentio, a manu scriptis praeterquam

in orthographicis nihil ultra spero. ad emendationem multum post Italos Scaliger et Heinsius contulerunt, ego non nihil in exemplari meo, paulo plus in his vindiciis. adnotata a Scioppio Burmanno aliis quae commoda fore legentibus existimabam usu cepi et novis auxi. quorum partem qui potest occupasse videri Wernickius, laboriosa eius commentatio (Priapeia p. I Thoruni 1853) non innotuerat mihi cum ista scriberem nec post quam scripseram mea retractandi materiam dedit.

I 1 'hinc Ausonius accepit illud prooemium *carminis incompti tenuem lecture libellum pone supercilium* (in idyllio VII ad Paulum de Bissula)' Scaliger. imitatus est ante Ausonium Martialis hanc praefationem I 4, 1: *contigeris nostros Caesar si forte libellos, terrarum dominum pone supercilium.*

II 5 *ingenium* et in rasura *chorum* Vossianus 265 cum libris plerisque. saepe quidem poetae Musas ες χορὸν καλοῦσιν aut Aonio deducunt vertice ut sanctos ineant choros vel celebrent aliquem plaudente chorea. sed hic neque tolerabile est *chorum* quod vocabulum repetitur in versu 7, et *locum* flagitat comparatio versus 8 *auso ducere mentulam ad Priapi.* similis sententia Stratonis in prooemio μούσης παιδικῆς: ἔμῳ δ' ὧ Μοῦσαι σήμερον οὐκ ἐνοχλῶ.

7 *Pierium* codices duo Medicei, Francius: *Pieridum* ceteri. illud Martialis VII 69, 8 et XII 3, 8 posuit, hoc Ovidius tristicium V 3, 10. interiectae autem inter *castas* et *sorores* appositioni *Pieridum* genetiuis durius aequo inseritur. potest hunc versum Atilius Fortunatianus recordatus esse cum scripsit I 4, 15 p. 2676 Putschii: 'quinta divisio est hendecasyllabi hoc exemplo *castae Pierides novem sorores.* nam secundum primum spondeum insertus huic hendecasyllabo anapaestus ionicus Sotadeum facit sic *castae dociles Pierides novem sorores.*' Atilium expressit Terentianus Maurus p. 2446 qui hendecasyllabi hoc posuit exemplum *carmen Pierides dabunt sorores* in versu 2839.

III Ovidii esse colligitur ex eis quae Seneca controversiarum I 2 p. 77 Bursiani tradidit: *novimus, inquit, istam maritorum abstinenciam qui etiamsi primam virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt. audiebat illum Scaurus, non tantum disertissimus homo sed venustissimus, qui nullius unquam impunitam stultitiam transire passus est. statim Ovidianum illud 'inepta loci', et ille excidit nec ultra dixit. vide clausulam versus 8. imitatur Ovidium Martialis XI, 78, 5 *pedicare semel cupido dabit illa marito, dum metuit teli vulnera prima novi.**

2 similiter Ovidius in arte III 90 *mille licet sumant, deperit inde nihil*, et in amoribus II 3, 12 *unde nihil perit*.

4 *Quom tenet* Vossianus: *dum tenet* plerique libri. *teget* secundum Aldinam anni 1534 Burmannus et Meyerus.

9 sic inscriptum est in pariete Pompeiano DOS PYGIZA (apud Garruccium tab. II n. 7) quod *δος πυγίσαι* recte interpretatur Otto Iahnus (in actis acad. Saxonicae 1857 p. 194 n. 15). *ἀλλὰ παρέξεις πυγίξαι* Pana dicentem facit Nicarchus anthol. Palat. IX 330, *δος εὐθύμως ἰσχάδα τὴν οπίσω* Priapum Philippus anth. Planud. IV 220.

III 2 *dicans* unicum sed certum iambicae basis in hendecasyllabis huius libri exemplum.

4 teste Suetonio cap. 43 Tiberius Caesar cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit librisque Elephantidis instruxit, ne cui *in opera edenda* exemplar imperatae schemae deesset. *molles Elephantidos libelli* notantur a Martiale XII 43, 4.

V 3 casu cum hoc disticho consonare illud credas quod legitur in invitatione ad convivium edita a Pithoeo ex vetere codice P. Danielis (Meyeri n. 1074) versu 15: *quod meus hortus habet, gratanti suscipe mente: sic fruaris laetus quod tuus hortus habet*. id enim simpliciter dictum est sine ulla obscenitatis significatione. hic autem *hortus* sicut apud Graecos *κῆπος* ad pudenda refertur. compari lusu Priapus apud Argentarium anth. Plan. IV 241: *ἦν δὲ μόνον σὺ θίγῃς τῆς ἰσχάδος, ἰσχάδα δῶσεις*.

VI 3 *tenebo prensam* vulgo: *tenebo prehensum* Wittianus. ego *prensam* restituendum censui, quia si non cum viro sed cum puella Priapus ageret, aliquod alloquium puellae aut indicium adderetur. accedit quod *prendi* et *teneri* proprie dicebantur fures, neque de poena furti mulieres potius quam viri praemonendi erant.

4 suppleas *mentulam* quod nomen saepius omittitur in his epigrammatis, apud Petronium cap. 24 et 132, apud Martialem IX 47, 6.

5 imitatione huius versus Achilles dicitur LXVIII 16 *ci-thara tensior ipse sua*. nempe hoc ego carmen in antiquioribus ideo numero, quod non verecundatus est poeta in versu 2 *penem* commemorare, quam vocem cum cultiores homines Ciceronis aetate (ad Paetum IX 22, 2) videantur evitasse, tum in Priapeis non inveni nisi ter praeterea positam XVIII 1, XXXVII 3, XXXX 3. solent autem appellare *mentulam*, ad hoc modo apertius modo tectius *fascinum*, *mutunium*, *verpam*, *inguen*, *nervum*, *venam*, *membrum (seminale)*, *partem* cum additamento quodam, *notam*

virilem, vasa, telum, hastam, pyramin, columnnam, contum, sceptrum, stalorem.

VII 1 et 2 verissime libri *nam T P dico* aut *nam te pe dico*. etenim cum blaesa lingua pro *T* littera male reddit *P*, *pedico* verbum pronuntiando efficitur. scribebant olim *paedico* hodieque scribunt orthographiae Latinae ignorantes aut inertes homines: *pedico* scripturam testantur lusus huius carminis et LXVII, inscriptiones Pompeis Romaeque repertae, codices manuscripti plurimi, denique ipsa originatio, quoniam *pedicare* valet *scindere podicem* ut dicitur in carmine LXXVII 9 aut *secare* ut Martialis dixit VI 37, 1.

2 *mihī est* codices complures.

VIII 2 *quaere* et ipse conieci et Lucianus Muellerus de re metrica p. 51: *quaero* libri.

signa libri plerique: *tela* alii. vide versum 14.

7 *auratas* Phoebi *sagittas* vexarunt inutiliter, nam et *χρυσότοξος* vocatur atque describitur Apollo et signorum vestes atque arma crebro esse inaurata constat. inauratam Apollini lyram Ovidius attribuit amorum I 8, 60.

8 *clamne* libri plerique: *clamue* alii non apte, cum separatim decem dei per se quisque recenseantur.

X 2 eosdem coniunxit artifices Martialis IV 39, 2: *et solus veteres Myronos artes, solus Praxitelus manum Scopaeque, solus Phidiaci toreuma caeli, solus Mentoreos habes labores*. in carmine LXVIII 10 legitur *manus sine arte rusticae dolaverunt*, apud Senecam ep. mor. 91, 43 *agreste domicilium rustica politum manu*. deceptus est, id quod saepius ei accidit, litterarum permutatione Nonius Marcellus cum haec p. 99 rettulit: *DOLITVM, quod dolatum usu dicitur, quod est percaesum vel abrasum vel effossum. Varro Agathone 'nunnam caelatus in manu dextra scyphus, caelo dolitus artem ostentat Mentoris?'* qui versus repetuntur in p. 436. neque enim potest Varro scripsisse nisi *dolatus* audaciore usus metaphora — translate autem etiam homo fuste dolari dicebatur et lepida est Apulei de dolata in dolio muliere narratio — aut *politus*, scripserat autem revera *POLITVS* quod librariorum culpa ante Nonium in *DOLITVS* abiit sic ut in alio Varronis loco *PROPIVS* in *PRODIVS*. sic *crasso figuli polita caelo* legitur apud Martialem III 46, 14.

8 *columna* Martialis VI 49, 3 et XI 51, 1.

XI 1 *prendare* scripsi: *prensare* libri plerique, quod qui mutarunt in *prensere*, Latine nesciebant, quia nemo unquam *furem* aut *maleficum prensare* dixit sed *prendere* aut *deprendere*.

3 *conto pedali* simile est *fascinum pedale* XXVIII 3, *mentula sesquipedalis* apud Martialem VII 14, 10.

XII 1 *iuuio* libri: *senior* codex Vaticanus aperta interpolatione. *haud iuuio* vel *annosior* Heinsius, *serior* Scaliger, *putrior* ego tentavi.

3 Hecalae a Callimacho celebratae Romanisque Alexandrinae poesis cultoribus satis notae Petronius quoque mentionem fecit sat. 135 cuius versus amico videbantur olim hi fuisse: *digna sacris Hecale, quam multa loquentibus annis Battia des vates mirandam tradidit aevo.*

7 *mentula* libri aliquot. *ne desim sibi mentula* Avancius. cf. LVII 6.

8 miror ni scripsit *hesterna quoque nocte*: nam noctu ad Priapum lascivientes illae vetulae accedunt (XXXII 11) et ad astra haec manus tollit versu 6. eadem permutata sunt in libris Martialis IV 15, 1.

9 a Martiale Aeliae quattuor dentes I 19, 1 et Vetustillae tres capilli quattuorque dentes III 93, 2 assignantur. at *tres habuit dentes, pariter quos expuit omnes, ad tumultum Picens dum sedet ipse suum VIII 57, 1, et tres sunt tibi, Maxmina, dentes II 41, 6.*

13 similiter Martialis III 72, 5 *aut infinito lacerum patet inguen hiatus aut aliquid cumni prominet ore tui* et de Vetustilla III 93, 12: *cum anatis habeas orthopygium macrae senemque Cynicum vincat osseus cumnus.* praeter rem 14 *barbatus* coniecit Burmannus.

XIII 9 *cui libet* Vaticanus, Burmannus.

10 *nigri* libri non nulli sic ut *nigri fornicis ebrium poetam* Martialis XII 61, 8 posuit. *favilla* autem *nigra* saepius vocatur, et in hendecasyllabis poetae adiectivum substantivumque ita componere amant ut principium et finem versus occupent velut *uncto Corduba laetior Venafro, Histra nec minus absoluta testa, albi quae superas oves Galaesi.* Vibius Rufus de virgine prostituta in lupanari dixit *redolet adhuc fuliginem fornicis* idque sordide dixisse videbatur Senecae controv. I 2.

XV 3 et sequentes versus hoc ordine traduntur:

is me sentiet esse non spadonem

hic inter frutices loco remoto.

dicat forsitan haec sibi ipse 'nemo

praecisum sciet esse me', sed errat,

Burmannus autem colon post *spadonem* posuit, non post *remoto*. et hoc quidem consentaneum est minas Priapi, qui mentulam habeat semper et ubique paratam, non progredi ultra *spadonem*. secundo vero versu additur caussa qua fur adducatur ut latere posse in occulto peccatum et poenam speret. itaque pridem verisum ordinem sic correxeram:

*is me sentiet esse non spadonem.
dicat forsitan haec sibi ipse 'nemo
hic inter frutices loco remoto
praecisum sciet esse me', sed errat,*

cum Meyeri tres codices consentire didici in illam mutationem. in postremo versu ambiguo lusu testiculi indicantur quos *integritatis testes* Phaedrus fab. III 11, 5 vocat. in eandem sententiam Plautus accipi a spectatoribus voluit Curculionis versum 32 *quod amas, amato testibus praesentibus.* apud eundem poetam in quinto actu Gloriosi amitti miles cupit *salvis testibus* v. 1420: itaque *si hinc non abeo* inquit *intestatus, bene agitur pro noxia* semet ipsum execratus *ut vivat semper intestabilis* si nocuerit verberantibus. paulo post ubi miles dimittitur, lusisse rursus v. 1426 senex eodem vocabulo videtur sic: *si posthacprehendero ego te hic, hau carebo testibus* id est habebo qui iniuriam tuam possint coram iudicibus testificari et non abstinebo testiculis tuis; in libris enim est *hic arebo cestibus* unde Ritschelius *hic separabo a testibus* effecit. respondet autem seni Pyrgopolinices *causam hau dico.* etiam singulari numero *dexter testis* appellatur a Plinio; nescio igitur an risum captaverit Pomponius in atellana his versibus (142 ss. Ribbeckii): *si dedita opera te pater solum foras seduxi ut ne quis esset testis tertius praeter nos, tibi cum tunderem* (sic Iunius: *tonderem* Nonius) *labeas lubens.* nempe si testem intellegi voluit tantummodo spectantem, non patrantem, cur addidit illa *tertius praeter nos?* Priapei carminis lusum Martialis imitatur II 72.

XVI 7 *talia cunq̄ue puer* libri: *talia quinque puer* Aldina, codex Rehdigeranus, Lessingius operum VIII p. 490. qua coniectura non tollitur vitium, quia *puer dominus agelli* ab omni abhorret probabilitate; neque enim erilem filium quisquam Latine *puerum dominum* dixerit. poterant scribere *talia cum puero dominus* secundum Priapeum carmen Meyeri n. 1699 v. 5: *huius villulae domini colunt me deumque salutant, pauperis teguri pater filiusque [coloni], alter adsidua colens diligentia ut herba dumosa asperaque a meo sit remota sacello, alter larga ferens manu saepe munera parva* in quibus *larga* et *parva* ego transmuli. sed tam exiguum munus non par erat dedicari Priapo nisi ab uno et eo quidem pauperculo homine. nam beatores mactare deo solent hircum vel agnum, poma libaque offerunt tenuiores. quamobrem ego conieci *talia nunc pauper dominus: pauper erus gratiam relaturus florentis agelli nudum Priapum optimis pomis muneratur* cf. XLII et LIII. ceterum spirare putes in hoc carmine mentem Ovidii, apud quem formula illa *qualia credibilest* reperitur amorum II 5, 27 et tristium III 4, 38.

XVIII hoc epigramma in Telethusam notam inter Suburbanas

puellas (XXXX) scriptum editores prave admodum expresserunt. laudari apparet circulatoricem illam quod tam 'lascivos docili tremore lumbos' vibravit ut etiam castissimum quemque virum moveret, haud secus atque perita saltandi puella praedicatur ab Ovidio amorum II 4, 32: *illic Hippolytum pone, Priapus erit* et Gaditana a Martiale XIII 203: *tam tremulum crissat, tam blandum prurit ut ipsum masturbatorem fecerit Hippolytum*. haec igitur sententia simul et verborum consecutio ferebat ut *crissabit* futurum corrigere in praeteritum *crissavit*. porro male obsecundabant Scaligero qui in principio scripsit *ecquando* ut totum epigramma efferretur per interrogationem; longe enim aliud necesse est extricari e tradita scriptura *hic quando*. et ne audaciora moliamur velut *cantando* sed servemus *hic* adverbium loci, versu 4 *crissavit tibi* admonemur, unde in conspectu Priapi, prope statuum eius templumve saltantem admirationem poetae movisse circulatoricem cognoscitur. de cetero quod suspicabar *quondam*, hoc nunc improbo quia rem narrari a poeta non olim, sed modo factam credibile est. itaque meliorem coniecturam expectamus ut alii proferant. in tertio versu secutus eram antiquas. codices congruunt in *movel*, quod iam facile intellegimus non in *motat* esse corrigendum sed in perfectum *movit*. de reliquis codices differunt cum *extis* aut *aestis* aut *festis* aut *extu* et *satius altiusve* aut *altius altiusve* aut *altius assaciusve* aut *aptius altiusve* aut *saltius aptiusque* tradant. Tollo placebat repetitum *altius altiusque*, quod non stabit nisi sublato ablativo. itaque Heinsius *exsertam* proposuit, Forbergius *exossem*, alius *extantem*. sed etiam si *aptius altiusque* probamus, *extis* tamen corruptum est; nam ut concedam posse veru infixam exta cogitari quae coquantur, haec quis dixerit alte moveri? multa licet comminisci quibus Telethusae in latere movendo dexteritas declaretur, ut *hastis* vel *cristis* aut ipsius *coxis* (cf. Iuvenalis VI 321), nihil autem opinor aptius quam crepitaculum ipsum quod saltans simul manibus iactabat. itaque tentavi ego *quae clunem tunica tegente nulla sistris aptius altiusque movit*. Telethusae nomen hinc indidit lascivae crotalistriae Martialis VI 71.

XX 3 *subiles thyrsos* intellege hedera, pampino, vittis adsutis ornatos. sic thyrsum Ovidius metam. XI 9 hastam foliis praesutam appellavit.

5 edebant *invicti*, et invictus Hercules profecto saepissime cognominatur. at in libris est *invicta*, et non sine gravitate tentae Priapi mentulae opponitur Herculis clava invicta. ultimo versui similis est LVI 4.

XXI hoc epigramma qui variis modis explicare studuere Scioppius, Barthius, Is. Vossius, Antonius, eorum nullus quid verum esset, penitus cernebat. loquitur enim fur qui cum magnum

numerum pomorum de sacra via abstulisset, partem eorum deducavit Priapo, ut et onere aliquantum relevaretur et hunc deum in cuius tutela sunt poma sibi conciliaret. dicit igitur *copia raptorum pomorum me perdit: tu, Priape, rogatus mihi suffragare nec prode me indicio tuo, quaeque tibi posui tamquam vernacula et mea propria poma, nulli dixeris de sacra via surrepta esse*. in sacra via venisse poma satis constat Varrone et Ovidio testibus, illinc ab aliquo pomario suam praedam fur asportaverat. itaque falso et Burmannus Ovidiani loci imitatione in versu quarto *nulli dixeris emta via* et Antonius in primo versu *copia mi perit* coniecerunt.

XXII 1 *femina de nobis virve puerve queri* Ovidius ex Ponto IV 9, 96.

XXIII 3 *fur habeas poenam* male offendit Heinsium et Dorvillium, valet enim *si fureris, afficiaris poena*. perquam autem scite hoc carmen vertit ut puto Leonidas Alexandrinus sive Peritus est in anthologia Planudea IV 236: τοῦτο δ', ἐρωτᾷς, τῶν ὀλίγων λαχόνων οὐνεκα; τῶν ὀλίγων. in idem acumen exit eiusdem anthologiae epigramma IV 237: ἔπρεπε μὴ λαχόνων ἔνεκεν τὰδε καὶ κολοκυντιῶν φήσει τίς με λέγειν. ἔπρεπεν ἀλλὰ λέγειν.

XXV 4 *quod quidam cupiunt tenere reges*, hoc versu nemo dubitabit quin certos suae aetatis homines poeta designare voluerit. at duplici ratione interpretari *reges* licebit: aut enim quidam principes civitatis, quos impotentiae causa reges iam Cicero vocitabat, infamis nequitiae accusantur, velut Caesar Bithynica regina, M. Antonius femina Curionis, Octavianus avunculi Aulique Hirtii aliquando amasius, aut quidam alii quibus Rex cognomen erat ex Marcia gente vel ex Rupilia.

XXVI 4 *sine fine prurientes* eodem versus loco Martialis posuit V 78, 26.

7 *ecfututus* erui ex Lindenbrogiano libro qui *et fututus* habet: *ut futurus* et *futuuturus* et similia reliqui codices, *exfututus* vulgo.

9 suo iure vituperasse Burmannum existimo *valens* vocabuli repetitionem. quod non secundo ego, sed priore loco delendum censeo ad hoc exemplum: *qui quondam ruber et rigens solebam fures caedere quamlibet valentes*. rigidus deus saepius vocatur Priapus; ut ruber pallido sic rigens opponitur *ecfututo* confectoque: in eandem Horatius sententiam *obsceno* inquit *ruber porrectus ab inguine palus*. coniunxit *membra rigent intemptiva valentque* Ovidius amorum III 7, 67.

XXVII 1 *urbanus scurra deliciae populi* Plautus mostell. 15; *Scorpus, clamosi gloria circi, plausus Roma tui deliciaeque breves*

Martialis X 53 (cf. idem IX 28); *Cn. Pompeius l. deliciae populi Romani* titulus Orellianus 2604.

XXX *falce minax et parte tui maiore Priape.* simpliciter Martialis VI 16 'tu qui pene viros terres et falce cinaedos'. quam gremium Priapi amplum effingere soliti sint, et monumenta docent et Petronii descriptio sat. 60. itaque scriptor epigrammatis XXXVII Priapum sic adloquitur *fer opem parti, cuius tu ipse pars videris* ut olim Gronovius emendaverat neglectus ab editoribus: quem iocum Petronius imitatur sat. 92 *ipsum hominem laciniam fascini crederes.*

3 hospiti respondens Priapus, si carpserit uvas, eum irrumatum iri denuntiat. *uvas* plurativus post *quarum* praeferendus videtur singulari numero quem codices plerique testantur. verum in quarto versu ubi *cur* revocavi ex libris, debebam *aquam* scribere. nam *aquam*, non *aquas*, *poscere praebere dare sumere* communi usu dicebant. *sumite fontis aquam* Tibullus, *dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua et quid nisi quam sumes, dic mihi perdis aquam?* Ovidius, *qua tibi parte opus est, Lesbia, sumis aquam* Martialis. et hoc quidem Martialis epigramma II 50 et alterum a Burmanno memoratum III 87 de inquinato ore Priapum cogitare demonstrant.

XXXI 4 *exire ut ipsa de tuo queas culo.* vitium agnovit Scioppius qui *culo* in *cunno* iussit mutari. contra quem absurde Antonius 'paedicare etiam' inquit 'solebant feminas'; istud enim neque solebant facere, neque ut improbi id fecerint, Priapus faciebat, cui femina cunnum, vir nates aut caput praebere debebant. itaque si mulieri hos versus esse dictos constaret, Scioppio ego adsentirer. sed hoc ipsum non pro certo habeo, quamquam praeunte Scaligero ceteri secundum versum *licebit ipsa sis pudicior Vesta* in hanc partem interpretantur. at quoniam propter pudicitiam Giton apud Petronium sat. 9 appellatur Lucretia, nonne etiam virum licebat ipsa Vesta pudiciorem appellare? viro autem si minari Priapum statuimus, lenius in quarto versu mutabimus *ipsa* in *ipse*. cf. XVII et LII 5.

XXXII 2 *membraque sunt cera pallidiora nova* Ovidius ex Ponto I 10, 28.

3 *crus colorque formicae* Martialis III 93, 3 qui colore orationis illo *collatas sibi* utitur III 93, 6 V 37, 12 XI 72, 2.

7 codices, si discesseris a secundariis corruptelis, fere *usque putris pumex* aut *ut putrisque pumex* exhibent. *atque petra pumex* Scaliger, *atque putra pumex* Is. Vossius, *ut perusta pumex* Melissus, *ut peresa* aut *porosa pumex* Heinsius. sed pumicem masculino genere efferebant, et licet Catullus *arida pumice* scripserit, intrudi in hoc epigramma quod a consuetudine loquendi abhorreat ego aegre fero. postquam diu de emendando hoc versu

deliberavi, sine violentiore impetu quidquam perfici posse despero. metro sufficiat *usque quaque pumex*, forsitan lenius et elegantius videatur *quae sic est caries putrisque pumex*. cariem Nonius p. 21 putrilaginem esse tradit Turpili Afraniquae adponens versus, in quibus vetulae hoc convitio notantur. Turpilianum *ei perii: viden ut osculatur cariem? num illum illaec pudet?* perperam Grautoffius et Ribbeckius com. p. 85 immutaverunt; quia enim Plautus et Terentius *haec me pudet* dicebant et in compari verbo Plautus sive imitator eius *me haec condicio non poenitet*, Turpilium non dedecet *num illum illaec pudet?* id est num iuvenem illum illius anus pudet? porro in carmine LVII *cornix et caries vetusque bustum* mulier nominatur decrepita. cum pumice apte eum componi qui non expuat Pseudulus Plauti ostendit v. 74: *pumiceos oculos habeo; non quoco lacrumam exorare ut expuant unam modo.* et tamen, si omnia reputo, praestare ceteris conaminibus hoc arbitrator quo *pumex* abicitur: *quae suco caret osque putridum fert.*

12 *larualem* restitui ex libris, *larvialem* formam vulgatam Turnebus et Scaliger finxerunt sic ut Bentleius in Plauto *larvius*. tribus syllabis pronuntiabant *larua*, itaque Plautus quotiescunque eo vocabulo usus est, sexies vel septies trisyllabum posuit. duabus syllabis qui extulerit *larva*, praeter Horatium ex antiquis novi nullum.

13 *ductor ferreus* alibi nusquam memoratus qualis sit Scaliger docuit cum 'ducere *ἐλαύνειν*' et 'tamquam *χαλκοῦργός τις*' adnotaret. ducit ferrum qui tenuans illud malleo et extendens in alias aliasque formas ducit; ductile aes appellatum est quod obsequitur malleis; inde etiam haec dictio *ducere statuum* vel *opus ex aere* orta est. *ductor* igitur *ferreus* est faber ferrarius aut malleator, cuius ad operam facile credemus veteres refugisse quotiens secto in lamnas cornu confici lanternam opus fuerit. verum quae secuntur *insularis aequae* corrupta sunt quia neque *aeque* convenit in structuram enuntiationis neque *insularis* sanam exprimit sententiam. nam quae de damnatis ad ferrum in insulis fodiendum hominibus Scaliger loquitur, inutilia sunt, quae de Vulcano Lemni insulae praeside Is. Vossius aut de Neptuno Lesbi tutela Burmannus, merae nugae. et tamen Burmannus id quod poeta scripsit casu divinavit *insulariusque*. de insulariis, id est servis vel libertis qui in aedibus conducticiis custodiae causa habitabant, diligenter Forcellinius egit in hoc tamen falsus ut inquilinos quoque insularum hoc nomine comprehendi statueret. ex Petronio enim sat. 95 *interim coctores insulariique mulcant exclusum*, ubi nunc scribendum existimo *conductores insulariique* id est qui conduxerant insulam et qui eam custodiebant, illud nullo modo consequitur. praecipue videtur insulariis

arcendi incendii officium et ne ignes negligentius haberentur demandatum fuisse, ut fere eodem privatim et intra aedes munere fungerentur quo publice et in viis vigiles. itaque Iustinus in epitoma XXXII 2 cum Antiochus Syriae rex nocte templum Iovis Elymaei aggrediretur, rem proditam esse narravit *concurso insulariorum*: nam sic ego scribo, *insularum insularium insularum* habent libri non interpolati, *insularium* si aliquid valet, nihil valet nisi *insulanorum*. bene igitur nomen insularii coniungi puto cum curatione lanternae, tanquam si veritas: *Wol Blechschräger zu sein dann dünk' ich oder Hausknecht der die Laterne hin und her putzt.*

14 *lanternae* formam e Wittiano codice Burmannus enotavit. in Plauti Aulularia vetus Parei III 6 30 *ita is pellucet quasi lanterna Punica*, in Ciceronis epistula ad Atticum IV 3, 5 Mediceus *lanterna* cui Klotzius conferebat Francogallorum *lanterne*, in praefatione libri VII controversiarum Senecae codices Bursiani p. 180, 9 *lanternas*, in Valerio Maximo VI 8, 1 exemplar Kempfii *lanternam praelatam*, in Martialis apophoretis 61 et 62 optimi libri Thuanus et Leidensis *lanterna cornea* et *lanterna ex vesica*, in glossis Philoxeni *lanterna φάρός*, in Pisoniana Ciceronis 9, 20 codices Halmii *Catilinae lanternario consule*, in titulo Henzeniano 6292 *Labeo lanternarius*, itaque carenti *n* littera formae aut nihil aut parum auctoritatis relinquunt. *lanterna* autem quasi *lampiterna* dicta esse eandemque cum *lampade* originem habere videtur.

XXXIII caussam cur hoc epigramma non adeo vetustum Meyerus existimaverit nullam invenio; quod enim antiqui Priapi beati praedicantur propter largam explendae libidinis copiam, novicius hic est deus et nuper dolatus, si quidem ex nemore 'natus est et potest renasci' Priapus. varias autem Priapi antiqui amasse puellas ferebantur perinde ac Silenus Faunorumque gens; exempla si quaeris, 'Lotos nympa quaedam fuit, quam cum amatam Priapus persequeretur, illa deorum miseratione in arborem conversa est, quae vulgo faba syriaca dicitur' ut Servius fabulatur ad Verg. georg. II 84, et 'delicatae laureum nemus Florae, in quod Priapo persequente confugit' legitur apud Martialem X 92.

3 *adeo nihil est, adeo mea plena libido est.* iniuria in fine versus *est* sustulerant; duo enim haec et diversa enuntiata plene per se utrumque absolvuntur. morosiores hodie editores video esse in tolerando quam scriptores fuerunt in adhibendo illo verbo. quod non Plautus tantum in tam arte compacta 'sententia *humanum amarest, humanum autem ignoscere*st bis posuit, verum etiam Catullus intra paucorum versiculorum fines iterare et triplicare non veritus est.

4 *fatu* Heinsium quoque probasse Burmannus refert perver-

sissimo mehercules iudicio. quia enim Priapus hoc sentit *turpe quidem factu est sed faciendum tamen*, recte a libris factu tradi liquet. in extremo versu *falce manu posita fiet amica manus* certum est errore librarios *manus* nomen duplicasse. hoc qui intellexit Burmannus, *falce tamen posita* coniecit incommode; nam poeta non potuit quin scriberet *falce mihi posita fiet amica manus*. hinc accepisse clausulam versus Martialis videtur IX 41 *paelice laeva uteris et veneri servit amica manus*.

XXXIII 2 *conducta est pretio puella parvo communis*. Pompeis assibus quindecim tres homines mulierem Tychen conduxere (Henzeni tit. 7300), Aeserniae in copona hospes puellam assibus octo (ibidem 7306), Attice Pompeiana prostabat assibus sedecim (musei Rhenani XVII p. 138). addas Martialem I 103, 10 II 53, 7 IX 4, 2 IX 32, 3 X 75.

XXXVI 4 *si pacta est, Veneri similis, si flava, Minervae* Ovidius artis II 659.

5 *fronte crinitos Arcadas vides Faunos* libri: *frontem comatos* Avancius, *frontem cruentos* tamquam facie rubentes Scalliger, *fronde impeditos* Heinsius, *at fronte cornuta* Lindenbrogius, cui hac tenuis adsentior quod in hac singulorum deorum descriptione, cum insigniores corporis notae dissentiensque ab aliis habitus praedicentur, Faunorum indicari caprinam frontem oportere credit; cornibus enim magis quam alia re ulla conspicui Fauni sunt. potuit autem poeta illa aut aperte commemorare sic *frontem bicornes* aut paulo tectius si dixit *fronte eminentes*, ex quibus praefendum sine dubio illud est. in proximo versu significare quam aperire poeta Mercurii figuram maluit, cum *decentes plantas* ei tribueret quas noli intellegere formosas verum eas quae conveniant nuntio deorum id est alatas.

10 *inter haec* quasi inter has corporis formas: *inter hos* codices interpolati.

XXXVII 4 *chirurgique manum* antiquae: *chirurgicamque* aut *chirurgamque* codices. adiectivum hoc recte Heinsius restituit, quoniam ut *medici et medica manus* sic *chirurgi et chirurga manus* dici consentaneum est.

5 *me* accusativum Scioppius exaequabat cum huiusmodi exemplis: *studeo me placere, volo me scire, si te accipere cupias*. cuius sententiam non comprobo. nimirum *verebar me dare aliquid* aliud valet atque *verebar dare aliquid*; hoc est dubitabam dare, illud expectabam me daturum esse. itaque quod duplicatur in illis versibus accusativus, utrumque ego pro obiecto habeo, nec *σχῆμα καὶ ὄλον καὶ μέρος* vocari oportet neque longiore enuntiatione natam *ἀνακολουθίαν*, sed *me* ad *dare* et *mentulam* ad *curatum* referri. habet sane haec structura aliquam duritiem sed quae tolerari possit interposito inter *me* et *mentulam* sesqui-

altero versu. *legitimi dei* appellantur illi quorum munus legitimum creditur medicina, ut Apollo et Aesculapius.

9 *pars* Gronovius, 12 *compar* Scaliger: 9 *par* et 12 *parva* et aut *parve* et aut *parva* libri.

XXXVIII secundo versu omisso non nulli codices quartum sic mutatum exhibent: *formosissimus omnium est Apollo*. in tertio versu Meyerus *fingitur* coniecit sine idonea caussa, nam si non saepius illa aetate, at certe aequae frequenter pingebant ac fingebant Bacchum.

XXXXI 3 *eruditos Priapus poetas* non sine ironia dixit, quemadmodum Mamurra Caesarque a Catullo reprehenduntur *morbosi pariter gemelli utriusque, uno in lectulo erudituli ambo*. exoptans enim deus popularia carmina et ex tempore in suum honorem facta despicit eruditos poetas, qui versus sibi dedicare fastidiant; Barthius autem aliique dum nequam vocabulum esse *eruditus* volunt, iusto cogitabant nequius.

XXXII 2 *de cera facta dat tibi poma deus* libri insulse si *facta* ad *cera*, vitiose si ad *poma* referatur. *de cera facili* Scaliger, quod cum in Vossiano aliquo Burmannus invenisset, ratum habuit conlatis Ovidii verbis *utque novis facilis signatur cera figuris*; at illic hoc vocabulum satis significanter ponitur, hic admodum inutiliter. *ficta* et *picta* alii coniecere, *pacti dat tibi poma reus* Heinsius. *facta haec de cera* si quis auderet licentius, is vereor ne foedaret horum carminum elegantiam, in quibus pentameter versus non passus est elisionem nisi ter in coniunctionibus *tentaque ad exemplum XXVII 6, quaeque erat Aeacidiae* et *sive illi laterum LXVIII 14 et 34*. aliquanto magis probabile est *de cera fructus dat tibi poma deus*, concinne illud quidem respondens proximis versibus *at tu sacrati contentus imagine pomi fac veros fructus ille, Priape, ferat*. simplicissima vero et ut puto vera emendatio haec est *de cera flava*, sic ut Columella *flavae cognomina cerae* scripsit X 417.

XXXIII bene priores versus Ouwensius expedit laudatus a Meyero. 'nescis quid hanc hastam licet ligneam velit puella quae exosculatur eam? in se putat illa legitimo hastae munere functuram esse'. *quid hanc hastam velle puellam dicas* poeta secundum sermonem cotidianum finxit in quo centiens *te volo* vel *si quid me vis* audiebatur. in tertio versu *mihî credite* dubites num Priapo tribuendum an includendum sit in verba puellae. ego in exemplari meo adsignavi illa Priapo, nunc coniungi cum puellae oratione malo. nam praeterquam quod eiusmodi affirmatio magis decere videtur puellam quae prior elocuta est incredibilia, quam Priapum qui eadem narrat posterior, valde molestum est *me* et *mihî* ad diversos referre. denique in quarto versu *utetur veris usibus hasta* non posse contendo tolerari;

fierent tolerabilia hoc modo *utetur veros usus hasta*. Iunius et Heinsius coniecere *lusibus*, Brouckhousius *ictibus*, Ouwensius *verae viribus*, ego *veris viribus*. *vires* quam commode ad *hastam* apponantur, vel Ausonius declarat qui in centone nuptiali ad obscena detorsit Vergilianum illud *intorquet summis adnexus viribus hastam*, sicut Diogenes Cynicus Homericum *μή τίς τοι μεταφρένῃ ἐν δόρυ πήξῃ*. in usu autem communi erant *suis viribus uti*, *totis viribus uti*, similia.

XXXXV vulgatam scripturam quam retinueram sic explicant: puellam totam non tanti esse ut capillus pudendorum, nedum capitis mutetur. Scaliger vero qui *es* et *qua sunt* probavit haec adnotat: 'an prior, inquit, es puella, id est melior, ea parte qua pili sunt? stultus qui ex illius partis depilatione videri vellet puella'. ad coniecturas alii refugerunt et me quoque multa haesitasse dubitatione fateor modo *num tandem paries puella et qua sunt* (cf. Martialis XII 42) modo alia suspicatum. interim quae Vossianus et ut videtur plerique codices exhibent *num tandem prior es puella, quaeso, quam sunt mentula quos habet capilli?* nescio an ita possint exponi ut *prior* scriptum esse exquisita ambiguitate statuamus: *num tu puella prior es quam sunt mentulae capilli* id est non tu citius eris puella facta quam renati erunt pili virilitatis testes (cf. Martialis VIII 52) et non tu plus valebis puella quam mentulae pili. hoc si voluit poeta, eo magis intellegi potuit quod translato ad rem minimam pili nomine veteres solebant loqui *non pili facere et nullum pilum habere*.

XXXXVI 5 *Indicisque braccis* Aldina: *Indicis libratis* libri, unde restituendam esse discimus *bracis* formam. pariter *bracati* et *bracis* huc usque revocare ex codicibus neglexere editores Propertii IIII 4, 17 et V 10, 43. praeterea *Indicisve* potius quam *Indicisque* ex mendis librorum elicies. *Lydia tam laxa est — quam veteres bracae* Martialis XI 21, 9.

sequitur versus gravissime depravatus *manes hic licet ut libenter ires*. invectum ab Alciato, remotum ab Scaligero *manes* nuper Luciano Muellero p. 52 placuit qui reliqua sic ut *libet perennis* correxit et vetustissimum Priapeorum omnium hoc carmen esse sibi persuasit. idem ego dico nec magis vetustum neque a recentiore poeta factum quam cetera omnia, quamobrem obsoletum verbum, quod tunc fere unum saeculum et dimidium fuit cum abiecerant Romani, fugiendum est. prudentiore consilio *mandes his licet* Scaliger commendavit, id est 'istis statoribus et circitoribus qui fures ut arceant latus tumentur, clunem submittas licet'; sed proxima verba quod immutata reliquit, de via quam coeperat ire rursus declinavit. poterat autem sic pergere *ut libet, tereris*. at restat scrupulus, qui me male habet, nudum

nec satis idoneum *his* pronomen. aliam ingressus rationem Is. Vossius *mallet scilicet ut libenter ires* tentavit qui et ipse inepte priori parti versus posteriorem adplicuit. nimirum libenter illam abituram fore nec spes erat Priapo nec votum. debebat igitur sic haec componere *mallet scilicet ut libet perires* id est mortuam te quo lubet mortis genere mallet quam ut ego te futuerem. cui coniecturae quid obstat, non video; opus enim est solutiore ingenii inventionem, si quidem Manes precanti aut rore nocturno mananti puellae locus nullus est. unum praeterea inveni memoratu dignum *ad mane hic licet ut libet moreris* id est tota nocte licet ad libidinem tuam hic maneas, nihil a me impetrabis. nam nocte, ut supra dixi, advenire vetulae ad Priapum finguntur.

10 *scaturrientis* genitivum repetii ex aliquot Burmanni libris: *scaturientes* vulgo. non scaturriunt vermiculi sed ulcerosus cannus scatet vermibus. *vermiculosa prurientis* coniecisse Guyetus fertur.

XXXXVII hic Priapus quod venientes ad cenam convivas ut libent sibi versus adhortatur, in triclinio aut adeo in ipsa mensa positus videtur fuisse. talis in cena Trimalcionis cap. 60 Priapus a pistore factus et pomis uvisque oneratus medium tenet repositorium, in Martialis apophoretis 69 siligineus Priapus datur convivae, 'vitreo bibit ille Priapo' apud Iuvenalem II 95.

XXXXVIII *subducti supercilii* pro morosa poeta vice proverbii scripsit, quod quam usitatum fuerit, praeter alia novatum ostendit a Laevio vocabulum *subductisupercilicarpiores*; coniunctim enim haec scribenda sunt apud Gellium XVIII 7, 16 ut dimetrum efficiant anapaesticum. minus audaci lusu philosophi ab Hegesandro (Athenaeus III p. 162 A) appellati erant *ὄφρανασπισδαί*.

L 2 *ficosissima* quod scrupulum iam Guyeto iniecerat *fucosissima* suspicanti, vereor ne intempestiva librorum memoria in hoc carmen incucurrerit. turpissimis enim ulceribus abundantem puellam num tanti quispiam aestimaverit ut sollemni voto eam a Priapo expeteret? immo *formosissima* illum puella lusit, haec ut fruenda sibi contingeret votum fecit Priapo. quae antecedunt verba *si placet hoc tibi Priape*, eis poeta insolentem puellae indignatus tergiversationem imitatur vulgarem formulam *si dis placet*, sic ut Catullus in re item veneria LVI 5 *si placet Dionae* dixit.

3 *et nec dat mihi nec negat daturam* reposui auctoritate librorum: *et non dat* vulgo. *dare* breviter solebant dici quae futuri se patiuntur puellae, unde Catullus *quod nec das nec fers, saepe facis facimus* et Martialis *gratis ne date, basiate gratis*. in proximo versu *que* plurimi libri omittunt, neque copulam addi necesse erat.

6 aut *cum paribus* codices habent aut *similibus*. hinc aliquando Heinsius *sutilibus* effecit, quo facto *sutiles nostrae coronae* accipiendae sunt illae quas amator et amica gestabunt hilarior lascivia concumbentes. *cum paribus* Scaliger, ante quem *comparibus* legebatur, restituit *σὺν ἡλικιώταις* interpretatus eumque turba editorum sequitur. haec et si quid horum simile requiras in discrepantia scripturae cur non sufficiant praecipuam causam hanc habeo, quod nisi mentulae accessisset alia pars quae simul ingeretur, *totam* vocabulum inutile foret. nempe si *totam frontem coronare* non facile dixeris, dices *frontem coronare* aut *totam cum crinibus frontem coronare*, multo plus id in mentulam cadere concedes. puto igitur significatam a poeta esse totam cum scroto mentulam, atque hanc sententiam cum ipsa verborum in versu dispositio adiuvat tum *paribus* vocabulum quo nullum erat aptius ad demonstrandos testes, quos Graeci uno verbo *διδύμους* appellaverunt. laborare igitur in fine versum ratus hanc coniecturam propono: *totam cum paribus, Priape, nodis cingemus tibi mentulam coronis*. pedum, quocum Priapi 'sceptrum ab arbore recisum' licebit comparare, Vergilius *formosum paribus nodis* notavit ecl. V 90.

LI 7 *adserenda* in codicibus variis modis deformatum male *inserenda* interpretantur Scioppius et alii. quid valeat docet Ovidius met. I 761: *si modo sum caelesti stirpe creatus, ede notam tanti generis meque adsere caelo*.

12 *quam vocant avellanam* vulgatum est inde ab Aldina. neque tamen scripsisse ita poeta videtur, cum codices *que vocatur* habeant et teste Plinio XV 22, 89 *avellanae sive abellanae* quae vocabantur nuces non longae fuerint sed solida putaminis nucleorumque rotunditate. in exitu versus *alna* tradiderunt libri plerique, *alua* et *aluo* et *almus* et *alana* et *aulana* alii sigillatim. hinc Scaliger prius *quae vocatur Albana* coniecit eandem esse opinatus quam Plinius *Albensem* dixit. verum albanae nuces ut ipso nomine discernere eas iubemur ab albensibus, ita ubicumque in libris manuscriptis reperiuntur, permutatione litterarum natae ex abellanis sunt. ad hoc autem Scaliger *quae vocatur et calva* proposuit qualis nux a Catone Petronio glossariis memoratur. glossarium quidem Philoxeni *calvas* interpretatur *ποντικά πεφρονγμένα*, Ponticae vero in glossis Labbaei et apud Plinium non internoscuntur ab abellanis. sed hoc non obstat Scaligeri coniecturae, quia neque Plinii neque glossarum tanta erat diligentia ut unius fructuum generis diversas species perite separarent. attamen veram illam esse ideo non licet contendere, quod multa possunt nucum generibus nomina fuisse propter rei tenuitatem non prodita litteris et nobis incognita. si quis igitur librorum insecutus vestigiis coniecerit *quae vocatur a lana* —

satis hoc est exempli — ego quid contra dicam non habeo. nam cum calvae videantur inde appellatae quod carebant lanugine, tum aliae nuces poterant lanatae dici, quas sic ut ipsas abellanas 'mollis protegit barba'. mala quidem ex agro Veroniensi oriunda eandem ob causam, quod lanugo ea obducebat, lanata vocabantur (Plinius XV 14, 48).

13 *purpureo* viri docti non passi, sic ut Scaliger voluerat, per synizesin efferri in *punico* aut *purpurae* aut adeo *purpureo* mutabant. at ego metri necessitatem quae in heroicis versibus Augusteae aetatis poetas coegit admittere *aureo* et *Prometheo* et similia contracta, eandem in choliambis tantum licentiae dedisse puto ut tribus syllabis poneretur *purpureo*. ni mirum sine illa licentia adhibere poeta omnino non potuit verbum longe aptissimum.

14 *ferre glorior* Burmannus: *fero gloriosior* codices.

18 in hoc et insequenti versu ubi scripti editique libri partim *ve* partim *que* habent, sequebar Vossianum quocum scriptos plerosque consentire credo. sed eiusdem libri auctoritate in versu 19 *sessilesque* restituere, licet imitatione commendari videatur Martialis III 47, 8 *illic videres frutice nobili caules et utrumque porrum sessilesque lactucas*, propterea praetermissi, quod ab illo verbo novam totius enuntiationis partem exordiri arbitror. nam in versu 22 quod legitur *fibratum*, id Scaliger finxit, non inepte quidem sed tamen finxit; in libris comparet *furatum*. quo ego servato versus sic transponendos censeo:

*nec seminosas ad cucurbitas quengquam
ad ocimumve cucumeresque humi fusos*

19 *venire credo, sessilesve lactucas*

22 *acresque caepas aliumque furatum,*

20 *nec ut salaces nocte tollat erucas*

mentamque olentem cum salubribus rutis.

tria vides membra orationis tripertita divisione enarrata: nec ad cucurbitas quengquam vel ad ocimum cucumeresque venire credo, nec ut lactucas et caepas et alium furetur, nec ut tollat erucas mentamque cum rutis. trifariamque in superioribus ramos suos non ferre morum nucemve amygdalumve, tum non brassicis betisve porrisve gloriari se exposuerat. ordinem autem versuum quomodo librarii turbaverint in hoc ipso carmine Vossianus documento est in quo versus 13 14 15 sua sede expulsi inter 20 et 21 inseruntur.

20 *salaces erucas* Ovidius dixit rem. am. 799 et Columella, *salacem herbam* Ovidius artis II 422 et Martialis.

23 *quamvis nostro habeamus in septo* codices: *habemus* recte antiquae. indicativum enim praeter Ovidianam consuetudinem confirmat huius libri LIII 6 *quamvis pauca damus*. male

propagarunt Scaligeri commentum nostro ut ambiamus in septo, quo et lenius et aptius quamvis nostro alamus erat.

25 laboratum id est diligenter curatum. plena laboratis scrinia libris Martialis III 33, 1.

28 et vos hoc ipsum libri prave correpto pronomine: hoc vos et ipsum vere Santenius, ut gravissima vox initium versus faciat. vos hoc et ipsum Luc. Muellerus p. 343, et vos id ipsum Avancius.

LII 5 porta patentiorem mutuatus poeta est a Catullo XV 18 quem attractis pedibus patente porta percurrent raphanique mugilesque. ceterum statorem non dubium est quin Scaliger perperam pro circitore habuerit; immo deus quasi digito monstrat naturam suam. pariterque non recte ille quae secuntur ad latrones hortique custodes rettulisse videtur, quamquam Lindenburgius ceterique sententiam eius comprobarunt. nam his quoque versibus describi ego puto effigiem habitumque ipsius Priapi. atque duo illi qui latus tuentur pulcre pensilibus peculiati possunt aut Panisci esse eandem cum Priapo basin tenentes, sicut in fabulis ab Ovidio narratis alibique fere coniungi cum Priapo Silenum Satyrosque videmus, aut potius minores prope maiorem Priapum latere utroque collocati Priapisci. denique ad tres has mentulas accedit insignis magnitudine verpae asellus, sacrum Hellespontiaco deo animal, quod et ipsum Priapi simulacro adstitisse credibile est.

9 ad partes veniet Salmasius fortasse vere, quia plurativum numerum, non singularem illius vocabuli in hac dictione adhibuisse videntur. certe Ovidius ex Ponto III 2, 27 vix venit ad partes Musa, amorum I 8, 87 servus et ad partes sollers ancilla parentur, denique addito pronomine ex Ponto III 1, 41 tu debes vincere amicos, uxor, et ad partis prima venire tuas. nam ad partes venit qui tanquam histrio ad fabulam paratus suas partes exsequitur, in partem venit qui partem capit alicuius rei.

10 mutoniatus forma, quae antea legebatur, Romanus nemo usus est. apud Martialem Schneidewinus edidit ex libris suis III 73, 1 cum pueris mutuniatis et XI 63, 2 tam mutuniati. in hoc versu codices tradunt minutiatas, mimiciatus, minutatus, municiatas, mutiniatus quae non o sed u vocalem demonstrant. nec Mutonus deus appellabatur sed Mutunus, nec mutonium fascinum sed mutunium. testis est iocus in pariete Pompeiano inscriptus quem deceptus a Garruccio male tractavi in museo Rheno XII p. 260 n. 30, nunc ex tabula Ritscheliana P. L. M. XVII his numeris innumeris constare didici:

*facere quondam Vibii opulentissimi,
non ideo tenuerunt in manu sceptrum pro mutunio,
istidem quod tu factitas cottidie in manu ferulam tenes*

ubi paenultimum verbum incertum (*sceptrum* supplevit Garrucius), *tenes* autem pro *tenens* scriptum est.

12 hic versus, ut Scaliger olim indicavit, ludit Catullum, qui venustissimum ad Lesbiam carmen V uno versu longius quam hoc Priapeum sic finivit *cum tantum sciat esse basiorum*. eundem hic poeta versum cum finem esse voluisset turpicolorum iocorum, in *basiorum* locum substituit *mentularum*. atquin ex eo ipso lusu ne quid detraheretur, necesse erat excepto uno et ultimo vocabulo reliquum versum plane congruere cum Catulliano. unde consequitur errasse librarios aut Catulli apud quem *sciat* aut huius carminis in quo *sciet* legitur. neque qui simpliciter iudicare quam argutias captare mavolt, utroque loco *sciet* restituere dubitabit, quippe quod maxime consentaneum sit orationi Catullianae: *dein cum milia multa fecerimus, conturbabimus illa ne sciamus, aut ne quis malus invidere possit cum tantum sciet esse basiorum*. Priapeae autem huius parodiae neque editores Catulli meminere neque ille qui in museo Rhenano XIII p. 323 carmini Catulliano versum illum detraxit.

LIII 2 mireris profecto *altos* reperiri in plurimis codicibus, non quod efflagitat sententia *alti*; nempe *musta* non capiunt lacus sed lacubus ipsa capiuntur. unde igitur natum dicas vitium illud? num forte ex imitatione versus Ovidiani trist. III 10, 72 *nec cumulant altos fervida musta lacus?* tum pars librorum *vix sua* habet, maior pars *vix cita*. illud intelleges reiectaneum esse simul atque ex latino sermone verteris in alium, hoc ita posse defendi videtur ut *fervida musta* aut ut Ovidius alibi dixit *celeri sub pede fluentia intellegamus*. dubito tamen num tam inusitate poeta locutus sit repudiato eo verbo quod maxime et usitatum (cf. Vergili georg. II 7) et idoneum ad indicandas vindemias erat *cum capiant alti vix nova musta lacus*.

LIIII hoc epigramma ex eadem nota leporum illepidorum est atque carmina VII et LXVII. talia quantopere in deliciis vulgus habuerit clarissime ostendunt Pompeiani muri ridiculis figuris titulisque oppleti. ibi, ut exempla aliquot memorem, lineis varie flexis quae labyrinthi errores repraesentant adscriptum est *labyrinthus: hic habitat Minotaurus*. vel iuncta sunt in formam α litterae sigma et antisigma ut valga crura denotentur circumque figuram scripta haec: *Miccionis statum cossiderate*. vel delineata est cordis humani species qualem consuevimus animo fingere, superior linea in medio curvatur introrsum atque apex inde prominet, curvatura cum apice similem Y litterae angulum implet, dextro absidis latere et sinistro collocatae sunt PS et CE litterae, itaque totum schema est *Psyche* nomen. compari lusu huius epigrammatis scriptor penem non nomine designat sed pictura. in secundo enim versu revocavi ex libris *qui medium*

te vult scindere; antea medium D vult edebatur absurde. iam vero penis quomodo pictus erit? si libris credas, Ed si scribas, sin mihi, CD si scribas temonemque insuper addas. hoc enim facto colligatae uno ductu CD expriment scroti et temo superne additus rigentis mentulae imaginem: scito autem in arte antiqua 'nullum phallum sine scroto' esse.

LV 2 *subripuere* Vossianus, *surripuere* codices Meyeri: vulgabant id quod parum efficax est *subripuisse*.

3 *amissi participium* poeta pro substantivo nomine posuit, ut Ovidius *quaesiti reddita caussa mihi* et *tristium V 12, 18 omnis et amissi sensus abesse queat. deinde me tam* quod Vossianus et bona pars ceterorum librorum habet, praefendum duxi vulgatae scripturae *tam me*, quo artius *tam* colligaretur cum *iactura*. eodem modo dispensator Trimalcionis apud Petronium sat. 30 loquitur *non tam iactura me movet quam negligentia nequissimi servi*.

4 *iustos* omnes fere libri: *veros* codex olim Heinsianus nunc Guelferbytanus, quod Burmannus recte iudicavit desumptum videri ex arte Ovidii I 754 *praebebit veros haec tibi turba metus*.

6 *Gallus* consimili ioco Martialis adhibuit III 24, 13.

LVI 2 *ostendit digitum sed impudicum* Martialis VI 70, 5. tum non bis sed semel *heu* scriptum est in codicibus compluribus et antiquis editionibus, *heheu* in Aldinis. videtur igitur restituendum *eheu me miserum*, sicut apud Petronium sat. 34 Trimalcioni reddidi *eheu nos miseros quam totus homuncio nil est*, in quo versu Scaliger *quia* ediderat.

LVII 2 *turba et putrida* vulgo: copulam ego delevi auctoritate librorum. difficile autem diiudicatu est inter *putrida* et *putida*, quae cum antiqui paene promise habuisse videantur tum librarii facillime potuerunt permutare. sine discrepantia scripturae apud Horatium epodon 8, 1 legitur *longo putidam te saeculo*.

4 repetitur ad verbum in carmine LXXVI. *Priami vel Nestoris annos* Martialis V 58, 5 *aetatem Priamique Nestorisque* VI 70, 12 *natales Priamive Nestorisve* VIII 64, 14 *Peleos et Priami transit et Nestoris aetas* II 64, 3. ἀνάκεινται νηπιτυεύόμενοι Νέστορι καὶ Πριάμῳ anthologia Palatina XI 140, 3.

6 *desim* codices: edebant *desit*. cf. XII 7.

8 extremum hunc versum primus Barthius, postea alii damnarunt. hoc certum est non factum illum esse ab eodem qui septem priores scripsit. nam aculeus epigrammatis, quod rem absurdam re non minus absurda repensat, omnino retunditur si septimum versum alia excipit et contraria sententia. non tamen novicium esse puto octavum versum sed antiquis temporibus subscriptum praecedenti carmini; sicut in muris Pompeianis

saepius quae alius scripserat corrigi et improbari ab alio (musei Rhenani XII p. 253 et XIII p. 586) et in carmine LXXVIII Priapum ab alio poeta reprehensum defendi ab alio videmus, sic iste nescio quis rescripsit ad superiorem versum, nummis anum illam posse puellam fieri: nimirum anus 'cum futui vult, numerare solet' (Martialis XI 62 et VII 75).

LVIII 1 *curam* codices pauci: *fidem* plurimi, quod servarant ordine verborum male immutato.

2 *verminet* Is. Vossius: *iminet* Vossianus, *imminet* aut *eminet* ceteri libri; *marceat* vulgo.

3 *hic* scripsi cf. XXIII 1: *haec* vulgo. in codicibus plerisque *hec* et *hic* vix possunt discerni, velut in Vossiano LXV 1 hoc an illud scriptum sit mihi non exploratum est. *proterva manu* in eosdem choliambi pedes divisa sunt XXXI 1.

4 *reperiat* libri plurimi: *inveniat* alii, *nulli veneat fututori* ut Scaliger coniecit Vossianus Burmanni.

LVIII 1 tollendum censui quod post *tibi* ponebant comma, ut *praedictum* referatur ad *negare* verbum. hoc enim si noluisset poeta *praedicam* aut *praedico* scripsisset. sequitur lex Priapi paucis et atrocibus verbis concepta: *si fur veneris, impudicus exis* de horto. nam *exis* ab Is. Vossio et Heinsio recte inventum, cum in libris *eris* legatur, substituere debebam in locum vulgatae *ibis* scripturae: praesens tempus non nihil adauget firmitudinem denuntiationis.

LX 2 *quis poma det Alcino?* Ovidius ex Ponto IV 2, 10.

LXI 7 *ustulandi* vox praeterquam in hendecasyllabis Catulli XXXVI 8 et Priapeorum XXXV 2 et LXI 7 reperitur etiam in iambica, ut videtur, inscriptione muri Pompeiani (in tabula Ritscheliana XVII 27) *opto tibi ut refricent se ficus tuae, ut peius ustulentur quam ustulatae sunt*. nec quod Vitruvius eam non repudiavit inde quicquam nobilitatis adepta est.

LXII hoc epigramma calente sole diebus canicularibus factum putes: vos canes non opus est vigilare; custodiet hortum Canis caelestis, fidelis Virginis suae comes.

LXIII 1 *parum est mihi quod hic fixi sedem* codices plerique, *fidem* in fine versus pauci. haec emendare qui olim tentarunt, idcirco nihil proficere quod ne tertius quidem versus vitio carebat. is recte sic traditur *siticulosam sustinemus aetatem*. itaque primum versus Lachmannus ad Lucretium p. 199 talem posuit *parum est quod hic ut fiximus semel sedem*, Luc. Muellerus p. 151 talem *parumst quod hic cum fixerint mihi sedem*. at primum ego *mih* pronomem iniuria sive deleri sive alio transferri puto. nam quod singulari numero et plurali significatio Priapi variatur, id cum aliis exemplis defenditur, velut imperator a Frontino de aquis II 111 laudatus edicit 'caducam neminem

volo ducere nisi qui nostro beneficio aut priorum principum habent', tum ipsius huius carminis versibus 5 et 8. et quamquam saepius formulae illi *parum est* non additur pronomen, posse tamen addi non modo Ovidius ostendit heroidis IX 47 'haec mihi ferre parum est' sed etiam gemina formula personaliter dicta *parum habeo*. deinde vero etiam *fixi* servandum censeo tanquam participium optime conexum cum *sustinemus*. reliquum igitur cum hunc versum habeamus *parum est mihi quod hic* ∪ — ∪ — *fixi*, corruptum *sedem* aut *fidem* vocabulum corrigi oportet in diiambum. quocirca si versum 7 contuleris, qui primis versibus labores Priapi comprehendendi diurnos demonstrat, non improbabis hanc meam emendationem *parum est mihi quod hic cotidie fixi*.

4 *imos* edidi cum Douza, quamquam nec satis plene calamitatem Priapi denotat cum non inum tantum sed totum sinum imbres obruant, neque commendatur discrepantia librorum, in quibus *imi superfluant* aut *imi perfluant* aut *imis superfluant* legitur. itaque quod superiores versus mala aestiva enarrantes ipsum addunt aestatis nomen, iam alteram quoque anni partem aperte commemorari expectamus. corrigo igitur *parum quod hiemis perfluant sinus imbres*. cf. Tibullus I 4, 5.

6 *duro* Faurianus, Heinsius: *dura* vulgo. crystallum enim si pro glacie concreta ponebant, non feminine Romani videntur extulisse, solebantque Graeci *κρυστάλλοιο νέον βορέαιο παγέντος* dicere, non *παγείσης*. memorabile autem duco, quod Ovidius in tristibus et ponticis epistulis, ubi Tomitanae regionis glaciem nivesque et gelu ac frigus totiens conqueritur, graeca tamen hac voce abstinuit.

9 codicum ego scripturam repraesentavi, quorum tamen aliquot *terribiles* habent. *deum* autem quod ante *fuste* legebatur, interpolator inseruit inscitius, si quidem undecimo versu Priapus iterum deos seque inter cunctos ultimum numen vocat. de vitiis aut ineptiis quas alii corrigendo effecerunt disserere nolo; Luc. Muellerus cum proponeret p. 151 *quod terribilem et e rudi fuste*, non modo *me* male reiecit sed etiam illam deseruit versus caesuram, qua omnes huius libri choliambi incisi sunt. secutus autem erat ex parte Scaligeri inventum hoc *quod me fuste de rudi vilem*, minime quidem importunum sed eius tamen licentiae ut ex aequo approbare *fertilem prius fustem* aut *de retorrido fuste* possis. codicum vestigiis ego quo magis insisterem, conieci *quod me de rudi levem fuste* ubi *levem* imbecillum fragilemve interpretor. haec ut in *terribilem* mutarentur, illud adiuvit quod ista virtus deo tribuitur in Priapeis XX et LVI et in Copa versu 24.

17 ultimi versus rursum tam foede depravati sunt ut emendandi operam omnem videantur eludere. ego quod edidi, id fere in archetypo libro lectum esse credo, quamquam singula

in apographis multifariam variantur: quo Burmanniani duo, figuris satis multi, ad inventis aut admonetis aut invenit tres, pruinosa pauci. quae ut tot figuras — non invenit pruriginosa Aldina, quo tot figuras — non admovente pruriosa Heinsius, quae tot figuris — noviens peractis pruriosa Iacobsius. sed pruriosa vocabulum non recte fictum, licet Caelius Aurelianus scriptor rei medicae barbarus vel eiusdem aetatis volgus usurpaverit, ab hoc poeta utique abiudicandum est; pruriginosa caesuram versus reddit minus elegantem. expectamus etiam huic narrationi aliquid a Priapo adici quod sibi inlatam a puella iniuriam suamque ipsius miseriam denotet. itaque tentavi quae tot figuris, quot Philaenis enarrat, non impetratis nos perosa discedit id est detestata numen meum quod nequitiam ipsius non adiuveret.

LXIII 1 imitatur Catulliani carminis XXV exordium: *cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo vel anseris medullula*. quod miror ab interpretibus ad plumam referri, quoniam adeps significatur iecurque anserinum cuius bonitatem Romani non minus quam nos noverant.

LXV 1 oscitantia incredibili propagabatur *qui rostro lilia mersit*, Heinsius tamen *carpsit* vel *rasit* aut *rosit* proposuerat. nimirum Ovidius *rode caper vitem* dixit, Martialis *vite nocens rosa hircus*. at *rostro rodere* dedecet poetam. hic ut ego emendavi, sic Ovidius *vite caper morsa*, Iuvenalis *haedulul inscius herbae necdum ausus virgas humilis mordere salicti*, Vergilius *signata admorso in stirpe cicatrix*.

2 idem hemistichium Ovidius posuit amorum III 13, 16 *ex humili victima porcus hara*.

4 probabile non est sine ulla necessitate gratiave *facias* verbum in hoc versu poetam iterasse; immo respicientem superiora librarium repetitionem illam commisisse puto. simul et ipsa sententia additamentum flagitat huiusmodi: *horti sit posthac ianua clausa tui*.

LXVI simili argumento atque VIII et X scriptum est. in tertio versu poeta aut *nimirum* sine negativa particula aut *mirum nisi* scripsit, id quod Heinsius et Ouwensius perspexerant cum *nimirum tibi* et *nae mirum nisi* coniecere. ille simplicem orationem pronomine molesto oneravit, hic ut latine Priapus loqueretur debebat scribere *a mirum nisi, quod times videre, intra viscera habere concupiscis*. qualis emendatio et facilitate sua et sententiae integritate magis commendatur, quam si totum post *quod* intercidisse versiculum statuas.

LXVII quemadmodum primis quinque nominum litteris Ausonius epigr. 126 *λειχει* verbum, sic primis quattuor nominum syllabis hic poeta *pedicare* composuit. graecanicam autem formulam *pedicare dabis* Ovidius quoque in Priapeo III expressit.

Didus fac Heinsius: *Dido fac* codices plerique, *Didonis* vulgo. in secundo versu *Cadmi* codex unus et Scriverius: *Cani* ceteri. illud nomen, cuius principalem syllabam ex usu graecae potius quam romanae linguae definitam vides, recte inventum esse, etiam si *Caci* aliudve nomen a codicum scriptura propius absit, inde efficio quod heroicis Graecorum et Romanorum poeta personas miscere voluit. Penelope opponitur Didoni, sic ut Pompeis in pariete aliquo altera parte Penelope, altera Dido depicta erat, eademque ratione conditori urbis Remo Cadmus opponitur Thebarum conditor. in tertio versu cum Meyerus ex aliquot libris ineptum illud *quodcumque* arripuisset, vulgatam ego scripturam revocavi.

LXVIII 4 *cogor Homericas* Heinsius: *coris* aut *choris* aut *carpsi meracas* libri. *Homereas* formam Bentleius praetulit dum *Homereum* Horatio reddit *Achillem* ubi *Homericum* aequè convenit librorum scripturae *honoratum*.

5 Homerum cuius carmina omnes, pueri senes, docti indocti noverant, veteres multi ridiculis parodiis atque sordidis vexabant. de Cynicis accurate Wachsmuthius noster disputavit sillos Timonis illustrans p. 35 ss. itaque saepius in anthologia Graeca Homericis versus ad obscena detorti sunt velut XII 251 *πῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γουνάζομαι οὐ παρεόντων ὕστερον*. et XI 328 Nicarchus *τριπορνεΐαν* descripsit dictionibus Homeri abusus, qui quod *τὸ ψολόεν κατέχων ἐν χειρὶ πῦρ* immiscuit, inde lucis aliquid huic versui affunditur. iam enim clare apparet non cum Gronovio, qui ordinem versus primus restituit, *ψωλόν* legendum esse sed id quod Heinsio in mentem venerat *ψωλήν*. nimirum pro verpa, non pro verpo accipiebatur ὁ *ψολόεις κεραινώδης* vel *τὸ ψολόεν πῦρ*, quo factum est ut in glossas *ψολόεις mentulatus* adscriberetur. codices haec tradunt *psoleon ille vocat quod psolenta ceraunon*, ex quibus primum vocabulum eodem iure *ψωλήν* ac *ψωλόν* interpretabimur.

6 Homericum tale *ἄψ δ' ἐξ κοιλῆν ὥσε μέγα ξίφος* aut *μάχαιραν ἣ οἱ πᾶρ ξίφους μέγα κοιλῆν αἰὲν ἄωρτο* respexit, quasi *κοιλῆν* ille *παρὰ τὸ κοιλόν* et *μάχαιραν* tam obscene dixisset quam leno Plautinus Pseuduli 1181 Harpagem adloquitur *conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?*

7 *σμερδαλέον* Heinsius, ut apud Homerum scribitur: *merdaleon* codices. deinde quod traditur *nisi* evertit sententiam: *uisa* Vossianus, *in se* Guelferbytanus; *certe merda huic immunda* Heinsius, *certe res huic non munda* Francius, *certe si res non munda* Weberus, *certe sti res non munda* Lachmannus in Luretium p. 197 quam formam pronomini urbanum Augusteae aetatis poetam admisisse non liquet. melius mihi nihil visum est quam *certe quasi res non munda*, ut poeta si iocosius quam verius

graecum vocabulum interpretatus esse iudicaretur, illa particula satis sibi caverit. licet enim in illis quae Lachmannus adtulit *οἰκία σμερδαλέῃ εὐρώεντα* et *σμερδαλέος δ' αὐτῆσι φάνη κεκακωμένος ἄλμη* *res non munda* agnoscatur, tamen in alias dictiones Homericas, *δράκων σμερδαλέος* vel *χαλκῷ σμερδαλέῳ*, interpretatio ista male cadit. itaque quia similem magis notionem expressit quam id ipsum nomen definivit, commode *quasi* praemittitur.

8 cum *merda σμερδαλέον* ideo in promptu erat componere quod principio huius vocabuli post Homerum sigma detrusum est ad exemplum graecorum *Μέρδεις Μέρδεις, μικρός μικρός, σμίλαξ μίλαξ, σμήραινα μήραινα, σμνηκτῆρ μνηκτῆρ* (Curtius etymol. gr. II p. 261). *μερδαλέον γὰρ ὁ δράκων δέδορκε* scholiasta scripsit ad Iliadis I 195, *τὸν τοῖς μέρδουσι ὃ ἔστι βλέπουσι καταπληκτικόν* Eustathius. iam vero hic poeta graecam vocem imitatus ioculariter mentulam a merda denominavit *merdaleam* — nempe *l* litteram libri testantur omnes, et Burmannus quae in tomo I anthologiae p. 607 contra adserit, ea ipse refellit in tomo II p. 537 — terminatione non latina. nam latine si merdosam dixisset sive merdaceam, numeros versus violasset, quamquam Lachmannus ad Lucretium p. 36 adversus producta *gallinaceum* et *mustacea* corripit antepaenultimam in *merdacea* sumit. aliquot demum post saeculis pessimum poeta dum pessimum hominem membratim discerpit (in anthologiis Burmanni III 160 et Meyeri 923) sensum a Priapeo hoc carmine, ut videtur, mutuatus tale distichon fecit: *non mihi laudanturque manus, hae namque rapaces; et non laudatur mentula, merdacea est.* scilicet ea forma, cui in Priapeo esse praesidio viderat exemplar litterarum graecarum, relicta iste latinam substituit de vitiosa syllabarum mensura parum sollicitus, ut qui in exitu pentametri *qui modo profugerint* et nomen *Calvitoris* pro dispondeo posuerit.

9 ab hoc versu deteriores libri novi carminis initium faciunt. *quod si* nonnulli, qua permutatione pronominum vix ulla frequentior est, vide Linkeri praef. Horatii p. XIV.

11 *nata* coniecit Broukhusius, sed revocandam censeo codicum scripturam *bene si non nota fuisset*, ubi *bene* ex more simplicitatis urbanae fere *valde* valet. in epitaphio autem Pupii tragoediarum scriptoris apud scholiastam Horatii epist. I 1, 67 *flebunt amici et bene noti mortem meam*, quoniam consuetudo dicendi solum modo *noti* approbavit, corrigo *amici et benevoli*. paulo post *senior* Chryses ut ab Ovidio rem. am. 470 *senior parens* vocatur.

15 *pelethronium* codex Monacensis n. 7471 interpolatus. in Iliade IX 186 Achilles non ad citharam qua Chiron Pelethronius

eum olim instituerat, sed ad eam quam praedatus est direpta Eetionis urbe, laudes maiorum canit. *cithara tensior* mentula Priapi praedicabatur VI 5.

17 *nata* recte ad Burmannum usque legebatur qui imperite *nota* edidit auctoritate librorum; a raptu Briseidis nata est *μητις* Iliadis principium. Horatius c. I 6, 5 opera HomERICA sic notavit 'nec gravem Pelidae stomachum cedere nescii nec cursus duplicis per mare Vlixei'; *duplicem* et quod vetustior poeta adhibuerat *alterplicem* Placidus et glossatores bene *dolosum* interpretantur. eadem ratione hic poeta Odysseae materiam errorem *fallentis* Vlixi appellat. *fallacis* Heinsius maluit ut legitur apud Martialem III 64, 4.

20 non debebam ex Burmanni codicibus *hanc* recipere. amant quidem poetae *amor movet carmen, opus*, similia dicere, quippe cum menti inicit cogitationem et vocem eliciat, at *amor movet materiam carminis* aut absone aut certe contorte dicitur. repono igitur quod alii libri habent *hunc* id est errorem Vlixi.

21 *hic* Vossianus et Guelferbytanus, Heinsius: *hinc* vulgo. illud item in versu 23 restitui.

φάρμακον — *ῥιζή μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος· μῶλον δὲ μιν καλέουσι θεοί* Odyssea X 302; *huic dederat florem Cyllenius album, moly vocant superi, nigra radice tenetur* Ovidius met. XIV 291. ab his eo minus hunc poetam discessisse probabile est quod aureus color pro albedo memoratus obscenitatem studio quaesitam occultat. quapropter ei scripturae suffragor quam Scaliger rogavit simul et dissuasit *de qua flos lacteus exit*. similiter *lactea Telephi brachchia* Horati c. I 13, 2 culpa librariorum in *cerea* abierunt. in proximo versu *quem cum μῶλον vocat, mentula μῶλον fuit* ut nequissimo poetae ingenio satis fiat, scribendum est *quam*.

30 *utque* codices mei et editiones ante Burmannum qui tacite *atque* publicavit.

34 ambiguum vim *nervi* hoc ipse versu explicavit: sive illi res veneria sive ars sagittaria exercebatur. 'Penelope iuvenum vires tentabat in arcu; qui latus argueret, corneus arcus erat' Ovidius amorum I 8, 48. tum *vos nunc intendite* libri ab Heinsio Burmanno Meyero nominati: *modo vos intendite* alii minus apte. *intendere nervum, arcum, sagittas* scriptoribus omnibus satis usitatum est; sic Hyginus fab. 126 'atque Penelopeam praemonuit ut arcum et sagittas eius daret procis, ut qui ex is eum *intendisset*, eam uxorem duceret. quae [ubi id] fecit, cum inter se certarent et nemo posset *intendere*, Eumaeus ait'. *vir meus* pro marito inde a Plauto per totam latinatam duravit, *qualem* autem pronominis relativi exempla cum hoc plane congruentia non novi.

LXVIII Priapus apud Argentarium anth. Plan. IV 241: ὄριμος· οἶδα καὶ αὐτὸς ὀδοιπόρε· μηκέτ' ἐπαινεί λισχάδα μηδ' ἐξόρα τὸν πέλας ἀκρέμονα. καὶ λίην δ' Πρίηπος ἐφίσταμαι δὲν δεδορκῶς καὶ φυλακὴν σίκων ἦν ἐπέοικεν ἔχων. idem apud Leonidam anth. Plan. IV 236: ἀλλ' ὡς ἐντέταμαι φῶρ' ἔμβλεπε. Erycius ibidem IV 242: ὡς βαρὺ τοῦτο Πρίηπε καὶ εἰ τετυλωμένον ὄπλον — ἐκκέχυντας. quot pondo est tibi mentulam cacandum ego secundum Vossianum edidi idque a multis aliis confirmatur, tantum quod est non post pondo omnes sed partim post mentulam collocarunt: quot pondo tibi mentula est cacanda vulgo. principalem illam, mox abolitam gerundii constructionem Catullus quoque in choliambo XXXIX 9 quare monendum te est mihi bone Egnati quaesivit. est autem pro sit scriptum ex usu quotidiani sermonis, qualem Plautus Petroniusve expressit, vigorem ostendit demonstrantis.

LXX 2 foedissime corrupta haec vulgabantur qui libum dederat molaque fusam, quare partibus additis in ignem sacro protinus hinc abito peracto in quibus incommodum est inter illudit et abito interpositum plusquamperfectum dederat, inconueniens quare particula, insanum addere partes in ignem. Vossianus habet quom libido deerat et alii similia, molaque fusa cuncti. unde ego emendavi qui cum libo aderat molaque fusa: accessit pauper ille qui habitabat in conducto ad aram Priapi signo adstructam priscae sanctimoniae dona oblaturus non tam lauta quam pia, qualia praecipue Vestae Penatibusque et Laribus dabantur. iam vero fusa mola, qua οὐλοχύτας Scaligero expressisse poeta videbatur, non intellego quid valeat; effusam enim si interpretare, vana res indicatur et per se improbabilis. contra far illud pium cum saliente mica appellabatur mola casta, mola sancta, mola salsa, ex quibus ultimum hoc verbum proprium sine dubio hic poeta scripserat. tum quarum partibus — nam hoc in codicibus legitur — ego in quorum mutavi eidemque latine Priapum abditis locutum esse testantur. libi molaque partes cum flammis adolevisset, ante quam tota cremata sunt, sacro ritu peracto abiit. hanc explicationem quamquam tolerabilem iudico, tamen si versum 8 libamine mentulae comeso consideramus, praestare fatebimur illud quod in libris non paucis reperitur abditis in inguen in hanc sententiam: partem donorum imposuit gremio Priapi, partem sacri peragendi causa in ara cremavit igni, cuius odore canis invitata abligurruvit mentulam.

6 prosequimur id quod movetur comitantes et subeuntes, persequimur rem ut ad eam perveniamus. recte Catullus LIX 4: 'saepe quam in sepulcretis vidistis ipso rapere de rogo cenam, cum devolutum ex igne prosequens panem ab semiraso tunderetur ustore', recte Cicero in Pisonem 83: 'labes imperii tui

stragesque provinciae, quas quidem nos non vestigiis odorantes ingressus tuos sed totis volutationibus corporis et cubilibus *persecuti* sumus'. sicubi quid statutum uritur, id canis odorata fumum non prosequitur verum persequitur; itaque corrige *persecuta*. femininum autem genus cani poeta metri necessitate coactus tribuit, cum res ipsa marem designaret; mox subiecit *famelicorum canum*.

LXXI 1 contulit Burmannus Ovidii her. IV 29 *plenis pomaria carpere ramis*.

2 Mercurius custos pomarii in anth. Plan. IV 255 ἦν δέ μευ παρακλήης, γνώση τὸν Ἑρμῆν ὡς κακοὺς ἀμειβομαι.

LXXII habes verba consensione codicum firmata et ad intellegentiam satis accommodata, sed versus specie omni adeo exuta, ut nisi *rubricato* disiunctum esset a *mutino*, vix cuiquam de versu cogitatio iniceretur. atque qui redigere ea in numeros studebant, in primis Scaliger, quamvis et ordinem verborum et verba ipsa audacter immutarint, numeros etsi aliquos at parum tamen commendabiles effecerunt. vide modo *pomarii tutela diligens, rubro* || *Priape furibus minare mutino* vel *sit diligens Priape cura pomari* || *furi rubricato minare mutino* vel ne iambi Priapeorum libro deessent *cura Priape diligens pomarium* || *furi rubricato minare mutino*. quasi vero cum *muto* et *mutinus* primam vocalem longam, *mutuniatu*s eandem brevem habeat, etiam altera syllaba posset corripri. eiusmodi conatus nec meis ego inventis augeri volo et alios admoneo ut hoc epigrammate prohibeant. nam nisi analogia me fallit tot titulorum in lapide aereve incisorum, homo non ita eruditus cum ad statuam Priapi poeta vellet fieri (XXXXI) operam quidem dedit ut numeris adstringeret orationem, carmen tamen ut perficeret non contigit. qui autem, inquires, factum est ut soluta verba in hoc Priapeorum carminum corpus reciperentur? quod subscriptum eis distichon proximum erat *quod monear non est — monear* ego: *moneam* aut *moneat* aut *movear* codices; *moneas* Avancius — itaque una cum responso Priapi in hanc collectionem etiam adhortatio ipsa relata est ad quam deus respondit. iam illud non opus est pluribus exponi male priores editores hexametrum qui sequitur cum pentametro collocasse et inscripsisse separatim.

4 *bracchia macra* codices, quod quibusdam βραχέα μακρὰ visum est valere, alios ad multiples suspensiones et tortuosas deduxit. agnosco ego vice proverbii a pediconibus celebratam dictionem factamque ad exemplum usitatae formulae *bracchia dare alicui* id est aliquem amplecti. cur autem pudenda illi *bracchia macra* vocarint quis hoc definit? inutile est adnotare in balista *bracchia* dici quae inclusa et extenta per nervorum tortilium compagem eiiculent telum tormentoque mentulam com-

parari VI 5; utilius discere a nostratibus quam planam brachii modulo crassitudinem colis faciant et a Martiale III 98 *macra* quam habeant cum pedicone rationem. vere Scaliger '*grande*' inquit 'constituit argutiam epigrammatis quaecunque illa est': grandibus malis opponuntur brachia macra. intenditur argutia eo quod etiam arboris brachia Latini brachiatasque arbores vocabant. protasis autem in memoriam legentium revocatura erat vulgarem obiurgationem *tibi malum magnum dabo* aut ut loquar cum sene Plautino *dabo μέγα κακόν*.

LXXIII 1 *obliquis quid me pathicæ spectatis ocellis* Vossianus pluresque libri. eum ordinem verborum nunc aequè præopto atque in satira Petronii c. 132 traditum a Bernensi hunc *quid me constricta spectatis fronte Catones*.

4 circumventus Burmanni iudicio id quod ille proposuerat *erucam* edidi præcisa Priapi scurrilitate. in libris quod est *utilis haec, aram si dederitis, erit* Is. Vossius vindicavit, *aram* enim cumnum hic dici ut graece *ἑσχάραν*. Aristophanes *τὴν γὰρ αὐτοῦ γλώτταν ἀσχροῦς ἡδοναῖς λυμαίνεται — κικῶν τὰς ἑσχάρας*, Hesychius *ἑσχάραι — αἱ τῶν γυναικῶν φύσεις*, Eustathius *ἑσχάραν καὶ τὸ γυναικεῖον ἐκάλουν μόριον*. *foeculum* eandem partem ancilla Apuleiana appellat.

LXXIII adnexum superioribus hoc distichon seiungi quasi singulare epigramma Scaliger iussit. 'quid miseros frustra cunos culosque lacessis? *summa petas*, illic mentula vivit anus' Martialis XI 46, 5. cf. XIII et XXII.

LXXV 2 *Mycena dives* Aldina: *micene dites* scripti. *βασιλῆα πολυχρόσιον Μυκίτης* Homerus, 'plurimus in Iunonis honore aptum dicet equis Argos *ditesque Mycenae*' Horatius. *ditis* nominativum non ausus sum restituere, quamquam analogia eum tuetur; *dis* enim *homo* et *dite solum* cum in usu Romanis fuerint, licebat eodem modo *ditis urbs* quo *Ditis pater* et *hic Quiritis* efferre. at consuetudo sane non secuta esse analogiam videtur. tum *Taenaros* promunturium templo Neptuni et simulacro in primis clarum a librariis permutatum est *Tenedo*; Taenarius deus apud Propertium I 13, 22 Neptunus intellegitur.

8 *est tutela Rhodos beata Solis* cum praeter fidem librorum solerent scribere, epitheton illi insulae adsignabant pro circumscripta reliquorum perspicuitate nimis ambiguum. latine dixeris et *urbs tutela dei* et *deus tutela urbis* et *urbs est in tutela dei*, quorum postremum hic poeta sic expressit *tutela Rhodos est beata Solis*. tum udum Tibur saepius Horatius notavit, ostreosam Hellespontiam oram, ostriferum Abydon, ostriferam Chalcedona Catullus, Vergilius, Lucanus. raptum Proserpinae ut *Φερεφάττια* Cyzicenorū celebrabant sic Propertius quoque IV 22, 4 ad illam urbem rettulit.

14 deesse apertum est clausulam carminis Priapei, quam obrem interpolati codices *mortales tibi Lampsacum dicarunt* versiculum non optimum addidere. certe facilius erat intellectu hic *donarunt tibi Lampsacon Priape*. tamen ille quem in nullo exemplari vetusto iam Aldus monuerat reperiri, ad nos usque tamquam a germano poeta factus propagabatur per editiones. a Lampsacensis vicinisque populis oriundum cultum Priapi fuisse scriptores atque tituli uno ore consentiunt: παρ' Ἑλλῆς ἦὸνα τὴν ἱερὴν Λάμψακον ἀμφιπολεῖς Erycius anth. Plan. IV 242, *domus tua Lampsaci est et te praecipue in suis urbibus colit ora Hellespontia* Catullus in priapeis, *Hellespontiacus Priapus* Vergilius et Petronius.

LXXVI 1 eadem archetypi labe, quae proximi carminis interemit finem, etiam principium huius periisse puto. nam aut indicativum restitui auctore Burmanno oportuit, aut dubitationem quam utrobique codices testantur *quod sim iam senior meumque canis cum barba caput albicet capillis* ut ad caussam aliquam aptemus, suppleri huiusmodi aliquid *heus tu cui videor parum valere*. loquitur vetulus Priapus et pruinosis.

3 *perforare* ut alibi *dolare* et *pertundere*. Scaliger obscenum iocum comparavit Plauti, qui lenonem interrogantem 'licetne *inforare* si *incomitiare* haut licet?' respondentemque Curculionem 'non *inforabis* me quidem' fecit III 1, 31. *Tithonum Priamumque Nestoremque* aut hic ab scriptore carminis LVII aut ille ab hoc sumpsit. *deprencos ego ter quaterque fures omnes, ne dubitetis, irrumabo* epigramma XXXXIII; hic pedicaturum se minatur vel languidissimos senes. τρυπᾶν πάντας ἐπιστάμεθα Antistii Priapus anth. Plan. IV 243, πάντα περιπύζω κἄν ἢ Κρόνος· οὐ διακρίνω οὐδένα φῶρ' οὔτω ταῖςδε παρὰ πρᾶσιας Tymnis ibidem IV 237.

LXXVII separatum a superiore ego huic carmini locum dedi cum codicibus paucis et Dorvillio. *stomachum mihi videtis* etiam si pro *videtis in me* accipias, prave scriptum est; facere nempe sibi stomachum Priapus queritur, qui hortuli sui saepta cludant, ut videant indignationem suam cohortatur. recepi igitur *movetis* emendationem Burmanni.

11 *poenae* coniecit Heinsius inutiliter, quia *poenas do* unius instar verbi est: *punior quod satis superque est*. qui secuntur versus adhuc variis impediti difficultatibus claudicabant: *salaxque quondam non vitam perago. quis hoc putaret, ut lusu citharoedus abstinere?* in quibus brevitatem graecanicam πάλαι διὰ παντός λαγνεύμενος οὐ νῦν διατελώ speciemque proverbii Scaligerprehendere sibi visus est. at codices *lusus* aut *elusus* praebent, tum *abstinere* aut *abstineret* aut *abstinemur*. unde certam ego erui hanc emendationem: *salaxque quondam nunc*

vitam perago — quis hoc putaret? — ut clusus citharoedus abstinentem. clusus saepimentis Priapus exercendaeque libidinis potestate privatus aequiperari se ait citharoedo cluso, id est infibulato aut ut Martialis ait theca tecto ahenea. tanta enim solebat fibula esse cum velamento subligata ad conservandam vocem artificum, ut ea vestitum citharoedum per iocum liceret clusum appellare. res ipsa notissima est et a Martiale VII 35, VII 82, IX 27, XI 75, XIII 215 commemorata; infibulandi rationem Celsus descripsit VII 25, 3. ex hac autem Priapi cum citharoedo comparatione deinde illud fluxit *neve inponite fibulam Priapo*, quam dictionem in proverbium abiisse Senecae fragmentum 119 H. declarat 'quid ergo est quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est et illi lex Papia *fibulam imposuit?*'

LXXVIII 1 *escam negent amicas, cunnilinge vicine* vulgo: *escam* singularem numerum ad esculentam rem quantulamcunque significandam plurali aptiorem e libris ego permultis revocavi, *amicas cunnilinge vicinae* Aldina. *Gentius cummu lingit* in pariete Pompeiano inscriptum, *cunnilingus* nomen aliquotiens apud Martialem sed nusquam adiecto genetivo.

5 *landicae* volui ut Munckerus emendaverat, non *landice*. mirum autem est codices omnes graecam habere terminationem, in his Vossianum *landices*, alios *laudices laudices ludices landantes*, cum vocabulum videatur merum latinum esse. eius memoriam Munckerus ad Hygini fab. 66 rursus excitavit e Philoxeni glossa: *landica ἐχάραδιν* id est ἐσχάριδιον (vide ad LXXIII). non extat hoc verbum nisi in glande Perusina C. I. L. 1507: *peto landicam Fulviae* et in epistulis quas homo Italus ut puto circiter Leonardi Arretini tempora finxit Sorani de priapismo Cleopatrae p. 81 Antonianae Petronii editionis, ubi cumnus describitur: 'intus vero quod a superiore parte descendit in medio, dicta est *landica*, motum saepe titillationis habens ex libidine'. verum certum est eodem Ciceronem spectare in epistula ad Paetum IX 22, 2: 'quod vulgo dicitur *cum nos te voluimus convenire* num obscenum est? memini in senatu disertum consularem ita eloqui *hanc culpam maiorem an illam dicam?* potuit obscenius? non, inquis, non enim ita sensit'. nulla ibi est quam Canterus suspicatus erat obscenitas in *culpam*, nulla quam Manutius in *an i-* quod prosodia multum distabat ab ano, est illud quod videbatur turpe in *-lam dicam*, quae syllabae sic ut *cum nos* pronuntiando aequabat *cunnos* et *Connus* fidicen Socratis magister eiusdem verbi formam vetustiore, audientibus *landicam* sonare videbantur. hoc igitur Ciceronis testimonio produci in *landica* paenultimam confirmatur, atque producta in Priapeo carmine comparet. inscii eius vocis *misella Landace*

edebant, Scaliger *Labdace* pro *Labda* scripsit. *fossis landicae* conferas *fossas inguinis* XXXXVI 9; imprudenter et aliam ex alia impudentiam nectentes quidam coniecere *ficis*.

LXXVIII 1 semel legimus in carmine XXVIII *fascino pedali*, praeterea in hoc libro *tentam mentulam* et *venam* et *pyramin*, non dissimile opprobrium *deus Priapo mentulatio non est* in carmine XXXVI. ipsa autem illa quae hic Priapo exprobrata esse ab aliquo poeta feruntur *fascino gravis tento*, ex alio videntur epigrammate repetita non adlecto in librum Priapeorum. quarto versu *es pro est* et *fascinosior* pro *sarcinosior* Scaliger restituit.

LXXX indignatus deus a puellis se vexari in hanc vocem erumpit *at non longa bene, at non stat bene mentula crassa*. sic enim ego emendavi duce Ovidio amorum III 7, 1 'at non formosa est, at non bene culta puella', quam elegiam facile credideris Tollio huius poetae animo esse obversatam. altero loco *at* omittitur a Vossiano ceterisque codicibus, quorum pars hunc ordinem verborum *longa bene bene non stat*, id est *at non longa bene, at bene non stat mentula crassa* exhibet. editores versum priore *bene* sublato sic interpolaverant *at non longa satis, non stat bene*. continuat Priapus haec *cupidas fallit mensura puellas: non habet haec aliud mentula maius eo* quorum postrema cum sententiae inconcinnitatem prae se ferunt tum vitium sermonis. atque hoc Barthius ut demeret, *maius ea* proposuit; verum praeter mensuram non modo *maius* sed omnino utile nihil dei mentula habebat. corrigo igitur *non habet haec aliud mentula materiae*. nempe id verbum ex Ovidii aliorumque consuetudine insitam rebus vim et facultatem denotat. tum de Tydeo Priapus credit Iliadi V 801: *μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής*. denique languorem suum excusat, quoad eius fieri possit, novitate et pudore in ultimo disticho, quod cum incohare potius excusationem quam perficere videatur, non dubito quin totius conclusio orationis in fine interierit.

LXXXI separavit hos versus a prioribus Scaliger et ad satiras Petronii ideo rettulit quod ad intellegendos eos alia opus essent quae ille in prosa sua tractasset. itaque Goldastus eos Petronianae narrationi c. 131 (p. 181, 17) inseruit suo arbitratu ediditque *sperare licet* quod e duobus Priapeorum codicibus enotatum a Burmanno video. ego incantamentum Priapeum esse hoc carmen existimo quod nervorum languori adferat medicinam, fortasse inscriptionem fascini collo suspensi pro amuleto. *ἐλπιδες ἐν ζωοῖσιν* item in re amatoria licet minus turpi Theocritus dixit IV 42.

Haec est summa priapeorum carminum, quae ex uno tran-

scripta archetypo in permultis hodie codicibus extant. editores autem inde ab Aldo numerum eorum auxerunt aliis atque aliis adiectis quae non abs re visum est brevi recognitione notare. secuntur igitur apud Burmannum VI 82 et 83 elegi et iambi a Scaligero secundum veterem schedam et membranam vindicati Tibullo (in editione Lachmanni p. 71), ex quibus iambi in Monacensi codice 7471 'compositio' dicuntur 'non ipsius Virgilio set alterius poete novissimi tempore Philelphi vitam agentis' plane incredibiliter, cum praesertim in codice XII. saeculi Monacensi 18059 legantur cum hoc titulo 'Priapeia Maronis incipit'; tum VI 84 disticha duo in duobus a Burmanno et Meyero codicibus Vossiano et Rehdigerano reperta cum hac inscriptione 'Vergilii catalepton' quae Martialis iocum VIII 40 imitantur et in primo versu *vere rosa, autumno pomis* elisionem pessimam habent; tum VI 85 et 86 iambi et priapei libero arbitrio Victorii et Mureti inter Catulli carmina relati XX (in editione Heysii p. 40) et XIX (in editione Doeringi p. 24); denique VI 87 priapeorum Catulli reliquiae a grammaticis servatae (fr. 2 Lachmanni). praeter haec Meyerus addidit 1701 (Burmanni III 264) hendecasyllabos quos Menagius publicaverat salsos quidem sed recentiores; 1702 inscriptionem statuae ex antiquitatibus Boissardi propagatam utique spuriam; 1703 (Burmanni V 218) hendecasyllabos quos Gorius inscr. Etr. I 95 Florentiae legit apud March. Riccardium barbare factos ab Italo quodam in simulacrum Priapi vestitum; 1704 (Burmanni V 219) longiusculum carmen quod in monumento Priapi Agathemerus Augusti libertus a cura amicorum, Apuleio ut puto fere aequalis, sic inscribendum curavit, ut antica pars duodecim versus cum formula dedicationis, latera duo vicenos versus comprehenderent Catulli Horatiique centonibus et memorabili superstitionum mole completos. denique Scioppius et Antonius n. LXXXIV etiam Martialis epigramma VIII 40 in hanc societatem adsciverant. ego, cui non omnia in unum colligere consilium erat quaecunque de Priapo in versus Romani redegerunt, sed tantum eum libellum repraesentare, quem olim descriptis undique variorum poetarum lusibus confectum aliquis grammaticus quasi integrum volumen tradidit posteris, neque illa quae ante recensui carmina meo exemplari volueram adiungi neque alia quae optimo iure in Priapeis numerare poterant, Martialis epigrammata VI 16 49 72 73 VII 91 titulumve Orellianum 5756a ad saeptum pomario sepulcrum (Petronius 71) pertinentem *custos sepulchri pene destricto deus Priapus ego sum: mortis et vitae locus*, in quo *destricto* tralatum est a gladio capuloque (cf. Plauti Casina V 2, 26 et Priapeum XXV).

Franciscus Buecheler.